PRAXIS
AD OMNES VERITATES EVANGELICAS

CVM CERTITVDINE FIDEI comprobandas;

Et ad omnes errores, & hæreses cum eadem certitudine confutandas.

Decerpta, hortatu Cleri Germani, ex Doctrina Catholica de Regno Christi, quæ à Patre DON IOANNE BELLARINO edita est.

In fine datur Praxis ad disputationem cum hæreticis tum voce, tum Scriptura recte instituendam.

Cum indice titulorum, & rerum notabilium.

Authore eodem P. D. IOANNE BELLARINO
Clerico regulari Congregationis S. Pauli.



MEDIOLANI, Apud Io. Baptistam Bidellium. 1626.

Illustrissimo, ac Reuerendiss.

DOMINO

THEODORO TRIVLTIO,

PROTONOTARIO APOSTOLICO De Numero Participantium;

Clerico Cameræ Apostolicæ; Principi sacri Romani Imperij, necnon & Mesochij, & Vallis Mehsoncinæ; Comiti Meltij, ac Gorgonzolæ; Domino Cotonei, & Vengagelli &c. Equiti S. Iacobi.

D. Io. Bellarinus perpetuam optat felicitatem.

SACERDOS Germanus (Illustrissimæ, ac Reuerendissimæ præsul) doctrina, pietate, prudentiaque decoratus, cum Anno superiore Iubilei gratia, Romam inuisisset; in reditu ad patriam, Mediolanum consulto,

ſicut ipſe ſignificauit, iter deflexit: vt mecum ageret de duobus a me nuper editis libris circa doctrinam Sac. Conc. Trident. & Cathechiſmi Rom. altero quidem pro Catholicorum inſtructione, altero vero pro hæreticorum conuerſione, quos ipſe, vt teſtatus eſt, de ſuperiorum voluntate legerat, & examinarat. Me itaque conuenit, longoſque de illis habuimus ſermones. Narrauit, eiuſmodi libros pergratos fuiſſe, & admodum vtiles iudicatos: ita vt de illis, publica auctoritate in Germania inducendis, coram ipſo conſultatum, affirmatumque ſit.

Addidit Cæſaream Maieſtatem, Germanięque Antiſtites animaduertentes, humani generis hoſtem, cum hæreticę prauitatis veneno, tum barbaræ crudelitatis gladio, Romani Imperij, nec non & Orbis terrarum vaſtationem moliri; Contra verò Diuini Numinis prouidentiam, per

auctoritatem, & doctrinam Sac. Cōc. Trid. iam ibi celebrati, potentissimum in hæreticorum machinationes, mortalibus remedium parauisse: ipsius Conc. Trid., ac Catechismi Doctrinam, intra Romani Imperij ditionem, ab omnibus amplexandam omnino censuisse. Subdidit tum à se, tùm ab eruditis compluribus viris tertium volumen summopere desiderari, quod ex duobus compendiosè decerptum, primo quidem ostenderet, certas vndique probationes de sua Doctrina confici à Catholicis; hæreticos verò, ne vmbram quidem demonstratiuæ, topicæuè Argumentationis tenere: tum certam traderet praxim ad omnia Euangelica Dogmata cum fidei certitudine comprobanda: atque ad hæreses omnes eadem ratione refellendas: denique appositam doceret rationem, ad disputationem rectè cū hæreticis instituendam: Et in dictis

omnibus maximam asserebat breuitatem desiderari.

His ego auditis, quamuis me viderem multis difficultatibus obrui, ideoque illi non promiserim; tamen, Deo fauente, opus sum aggressus; illud perfeci; &, ni fallor, satis aptè. Porrò tria sunt reliqua, quæ mihi satis negotij facescunt, libri nimirum editio, eius in Germaniam transmissio, atque ad Cæsaris conspectum accessio: Sed hæc omnia, quàm facilè à me possent remoueri, statim persensi, cum animi tui ingens celsitudo, tantis cùm naturæ, tùm virtutis fulgoribus conspicua mihi occurrit. Nam Triultia familia generis claritatem dedit; diuina prouidentia auitas opes, & amplissimas adiecit; Virtus grauissima Ecclesiæ munera promeruit; Ingenium, ac labor eximiam doctrinam, vniuersaque animi ornamenta comparauit: Vt ideo mirari iam omnes desinant,

nihil

nihil te, nisi præclarum, ac excelsum meditari; neque tibi studiosos, literatosque homines minus charos esse, quàm ipse Cæsari sis gratiosus, a quo tibi, posterisque tuis, non solum tantus principatus donatus est; sed etiam amplissimo Decreto, atq; Priuilegio, Ius, vt dicunt, Naturalitatis collatum fuit, per quod, perinde ac si in Germania orti essent, ad omnes illius regionis honorũ, ac dignitatũ gradus, honorabilis aditus pateret. Non poterat igitur hic mei partus ingenij, ad propositum mihi finem obtinendum, felicioribus vti auspicijs, quàm vt in splendidissimũ sinum tuum euolaret. Neque verò vlla mihi temeritatis nota pertimescenda est, quod tàm exiguum opus, tàm facili stylo exaratum tanto Principi nuncupandum censuerim, eo presertim consilio, vt per ipsum ad Cæsarem facilior ei aditus pateret: non enim ingenij monumenta ma-

gnitudine commendantur; neque eorum doctrinæ celsitas ipsa mole voluminis metienda est; sed & operis facilitas, ac nitor maximam illi dignitatem conciliat; quod ea sit magnitudo materiæ, quæ styli fucum omnem, pigmentaque respuat; quo facilius in eā intendere mentis aciē quisque possit: Nemo enim adhuc ex Sacra Theologorum Schola (quod ipse nouerim) huiusmodi argumentum scriptis est prosecutus. Spero autem hanc meam lucubrationem Cæsareæ Maiestati, Germanoque Clero minimè iniucundam fore: vniuersæ verò Dei Ecclesiæ non inutilem. Deum autem Opt. Max. enixè precabor, vt summam istam munificentiam, qua te laborum meorum Mœcenatem præstas, dignis, tum in hoc, tum in futuro sæculo donis, atque muneribus accumulet.

PRÆFATIO
AD LECTORES,
PER MODVM DIALOGI;
In qua proponitur finis, & subiectum huius tractationis.

INTERLOCVTORES

Joannes Perpetuus Catholicus.
Claudius ex Caluinista factus Catholicus.
Lauretus ex Lutherano Catholicus effectus.

CLAVDIVS. Ego in iuuentute mea Logicæ, atque Philosophiæ operam dedi; & sequens maiores meos sectator fui Caluinisticæ doctrinæ, & illam alios docui; Sed in animo meo semper de illa, & de Lutherana magnam habui dubitationem, cōsiderans in vtraque male sonantem nouitatē, & nimis absurdam varietatem, atque contrarietatem; quæ doctrinæ non veræ, & non certæ, sed falsæ, & dubiæ valida signa, atque indicia sunt; Ideo non firmiter, sed dubie ita illi adhæsi, vt, si mihi certum fieret, quod, non illa, sed alia doctrina vera, & certa esset; illā dubiam relinquere, & veram, atque certam acceptare, paratus essem; valdeque desiderabam de Euāgelica doctrina cognoscere certitudi-

titudinem, & veritatem. Cum autem quidam Caluinista librum ediderit, in quo nitebatur probare, quod Catholici Romani Sophisticas de sua doctina faciũt probationes; Caluinistæ autem veras, & certas; illum diligenter legi, & consideraui; sed nihil in illo inueni, quod solidum habeat veritatis, & certitudinis fundamentum.

Alius postea liber, qui inscribitur, Doctrina Catholica, paucis ab hinc annis editus, peruenit ad manus meas; in quo Author profitetur, se apertissime demonstrare; quod soli Catholici Romani possunt facere de veritate suæ doctrinæ certas probationes, & de facto illas faciunt; Alij vero, vt Caluinistæ, & Lutherani dictas certas probationes, neque faciunt, neque facere possunt; hocque studet per Logicam, & per principia lumine naturali per se nota, & à lumine supernaturali corroborata, comprobare: Dictum librum diligenter legi, perlegi, consideraui, & examinaui: & tandem mihi visum est, vera esse, quæ ibi dicta, atque probata sunt; & per illum persuasus fui de certitudine, & veritate Catholicæ Romanæ fidei, atque doctrinæ; vnde illam libenti animo amplexus sum.

Post hæc dedi illum librũ huic amico meo, qui doctrinam Lutheri sectabatur, & erat minister illius, & vocatur Lauretus, sicut ego Claudius, vt cognoscerem, an de hoc libro idem, quod ego, iudicaret; Qui posteaquam illum diligenter legit, & perlegit; & mecum de illo lõgum sermonem habuit; tandẽ idem,

quod

quod ego, iudicauit; vnde etiam Catholicus Romanus effectus est: Ambo considerauimus authorem, & inuenimus à te editum esse: ideo ad te venire decreuimus, rogantes, vt, omissis alijs, quæ in illo libro profunde proposita sunt; breuiter nobis ostendas, quod soli Romani, alij vero non, de doctrina Euangelica ab illis tradita possunt facere, & vere faciunt certas, vt in illo libro dixisti, probationes. Existimamus enim, longiores illas probationes in dicto opere factas, pro doctioribus admodum vtiles, atque necessarias esse; sed à minus doctis non omnia, quæ ibi dicuntur, percipi posse; Ideo maxime expedire, vt breuiori quadam, & faciliori ratione, hæc adeo vasta materia, proposita sit: Quod si hoc feceris, significamus tibi, quod per talem librum multi Caluinistæ, & Lutherani ad veram, & Catholicam fidem conuertentur, & nos dabimus operam, vt ita fiat.

Lauretus. Ego idem, quod dixit Claudius, affirmo, & rogo te, vt præstes, quod postulatum est: Multi enim à nobis de doctrina huius libri, & de probationibus illius edocti hãc breuiorem, & faciliorem desiderant cognitionem, parati facere, quod nos fecimus, si etiã ipsi cognouerint, quod à nobis cognitum est.

Ioannes. Libentissime faciam, quod petistis: Vos proponite, quod desideratis, & modum tractandi, qui vobis magis sit gratus, & ego toto meo posse, diuino supposito auxilio, dabo operam, vt satisfaciam.

Claudius. Ante omnia desidero, vt breui, & fa-

titudinem, & veritatem. Cum autem quidam Caluinista librum ediderit, in quo nitebatur probare, quod Catholici Romani Sophisticas de sua doctrina faciũt probationes; Caluinistæ autem veras, & certas; illum diligenter legi, & consideraui; sed nihil in illo inueni, quod solidum habeat veritatis, & certitudinis fundamentum.

Alius postea liber, qui inscribitur, Doctrina Catholica, paucis ab hinc annis editus, peruenit ad manus meas; in quo Author profitetur, se apertissime demonstrare; quod soli Catholici Romani possunt facere de veritate suæ doctrinæ certas probationes, & de facto illas faciunt; Alij vero, vt Caluinistæ, & Lutherani dictas certas probationes, neque faciunt, neque facere possunt; hocque studet per Logicam, & per principia lumine naturali per se nota, & à lumine supernaturali corroborata, comprobare: Dictum librum diligenter legi, perlegi, consideraui, & examinaui: & tandem mihi visum est, vera esse, quæ ibi dicta, atque probata sunt; & per illum persuasus fui de certitudine, & veritate Catholicæ Romanæ fidei, atque doctrinæ; vnde illam libenti animo amplexus sum.

Post hæc dedi illum librũ huic amico meo, qui doctrinam Lutheri sectabatur, & erat minister illius, & vocatur Lauretus, sicut ego Claudius, vt cognoscerem, an de hoc libro idem, quod ego, iudicaret; Qui posteaquam illum diligenter legit, & perlegit; & mecum de illo lõgum sermonem habuit; tandẽ idem,

quod

quod ego, iudicauit; vnde etiam Catholicus Romanus effectus est: Ambo considerauimus authorem, & inuenimus à te editum esse: ideo ad te venire decreuimus, rogantes, vt, omissis alijs, quæ in illo libro profunde proposita sunt; breuiter nobis ostendas, quod soli Romani, alij vero non, de doctrina Euangelica ab illis tradita possunt facere, & vere faciunt certas, vt in illo libro dixisti, probationes. Existimamus enim, longiores illas probationes in dicto opere factas, pro doctioribus admodum vtiles, atque necessarias esse; sed à minus doctis non omnia, quæ ibi dicuntur, percipi posse; Ideo maxime expedire, vt breuiori quadam, & faciliori ratione, hæc adeo vasta materia, proposita sit: Quod si hoc feceris, significamus tibi, quod per talem librum multi Caluinistæ, & Lutherani ad veram, & Catholicam fidem conuertentur, & nos dabimus operam, vt ita fiat.

Lauretus. Ego idem, quod dixit Claudius, affirmo, & rogo te, vt præstes, quod postulatum est: Multi enim à nobis de doctrina huius libri, & de probationibus illius edocti hãc breuiorem, & faciliorem desiderant cognitionem, parati facere, quod nos fecimus, si etiã ipsi cognouerint, quod à nobis cognitum est.

Ioannes. Libentissime faciam, quod petistis: Vos proponite, quod desideratis, & modum tractandi, qui vobis magis sit gratus, & ego toto meo posse, diuino supposito auxilio, dabo operam, vt satisfaciam.

Claudius. Ante omnia desidero, vt breui, & fa-

& facili quadam ratione ostendas, quod Catholici, dicti Romani, de doctrina Euangelica ab illis proposita, veras, & certas possunt facere, & faciunt probationes; Lutherani vero, & Caluinistæ, & alij hæretici, nec possunt facere, nec faciunt illas: & quod hoc ita sit, reipsa manifestes: Desidero etiam, vt quædam hæreticorum falsa principia, & fundamenta, & quędam illorum fortiora, vt ipsi opinantur, & magis frequentia argumenta, ex Logica confutes, atque dissoluas.

Lauretus. Ego vehementer desidero, vt des nobis Praxim ad omnes veritates Euangelicas cum certitudine fidei comprobandas; & ad omnes errores, atque hæreses illis contrarias, cum eadem certitudine confutandas. Amplius desidero, vt nobis des Praxim, ad disputationem cum hæreticis tum voce, tum scriptura recte instituendam.

Ioannes. Magna, & difficilia postulastis: Ego ad hoc præstandum paratus sum; sed rogemus Deum, vt det mihi auxilium, ad recte, quod dictum est, efficiendum. Et vos proponite modum, quo placet, vt vtar.

Claudius. Tu circa ea, quæ à nobis dicta sunt, propones, quæ iudicas expedire: Nos in fine sermonis tui si quid opportunum visum fuerit interrogare, à te petemus. Lauretus, Hoc mihi quoque placet.

INDEX TITVLORVM TOTIVS OPERIS.

DIST. I.

De veritate, de certitudine, de certis probationibus, & de consequentijs.

DIST. II.

De probatione mixta ex lumine fidei, & naturali.

DIST. III.

DE PRAXI ad Doctrinam Catholicam summatim tum proponendam, tum comprobandam.

Cap.

DIST. IV.

De examine probationum particularium, quę à Catholicis, & Hæreticis habitæ sunt.

DIST. V.

DE PRAXI ad falsa hæreticorum principia, & Sophistica argumenta dissoluenda.

DIST. VI.

DE PRAXI ad disputationem cum hęreticis tum voce, tum scriptura recte instituendam.

Cap. 13.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

B

C

Con-

Fal-

F

G

H

Na-

O

P

quod

R

Di-

Sum-

ipsis

V

FINIS.

D. IVLIVS CAVALCANVS
Congregat. Cler. Reg. S. Pauli Præpositus Generalis.

CVm opusculum inscriptum. Praxis ad omnes veritates Euangelicas comprobandas, P. D. Ioannis Bellarini Congregationis nostræ, duo eiusdem Congregationis, docti Viri, quibus id commisimus, recognouerint, & in lucem edi posse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, visum fuerit. Dat Mediol. in Collegio nostro SS. Apost. Pauli, & Barnabæ. Die 20. mensis Octobris 1626.

D. Iulius Caualcanus Præp. Gen.

Imprimatur.
Fr. Paulus Ayroldus Med. Ord. Præd. S.T. Mag. Cõmissarius S. Officij Med.
Fr. Aloysius Bariola Augustinianus Consultor S. Offitij pro Illustriss. D. Card. Archiep.
Vidit Sacus pro Excellentiss. Senatu.

DIST. I.

DE VERITATE, DE CERTITVDINE, DE PROBATIONIBVS, ET DE CONSEQVENTIIS.

CAP. I.

De fine, & subiecto huius distinctionis.

IOANNES. Proponam, vt dixistis, quæ mihi opportuna videntur ad explicandum & probandum quod postulastis. Ideo in hac prima distinctione breuiori & faciliori ratione de Veritate, de Certitudine, de certis Probationibus, & de Consequentijs tractatio habita erit, & hoc erit subiectum illius.

Finis erit parare vobis, & lectoribus aditum ad clarius & profundius, ea, quę in toto hoc opere sunt dicenda. Dictorum enim cognitio ad præsentem tractationem valde deseruit.

CAP. II.

Quid, & quotuplex sit.

IOANNES. Primo ergo dicendum de veritate in generali; & illius nomē, diffinitio, Causæ, operationes, proprietates, species, sunt explicandæ.

Hoc nomen veritas significat, Vere res ita est.

Doct. Catholica. li. 1 dist. 3. cap. 1. & 2. & seq.

Sic potest diffiniri; Est ratio manifestatiua eius, quod est; idest manifestat esse, quod est, & non esse, quod non est: Falsitas, est ratio manifestatiua eius, quod non est; idest manifestat esse, quod non est; & non esse, quod est.

Ibidem.

Veritas, & falsitas potest esse affirmatiua, & negatiua.

Ibidem. Ar. de prædi. subst. & in Periher. & alibi.

Quatuor sunt species veritatis: Prima est in rebus; secunda in cognitione; tertia in oratione; quarta in operatione: Probatur: Res, vti aurum, dicitur verum; Cognitio auri potest dici vera, & falsa: Oratio de illo, siue vocalis, siue scripta potest esse vera, & falsa: Amor etiam, & possessio, & vsus auri potest esse bonus, & malus; verus, vel falsus.

Ibidem.

Veritas à parte rei potest dici obiectiua; & sic diffinitur: Est ratio à parte rei manifestatiua eius, quod est.

Ibidem.

Veritas in cognitione sic diffinitur: Est ratio cognoscitiua eius, quod est.

Ibidem.

Veritas in oratione sic; Est ratio significatiua eius, quod est.

Ibidem.

Veritas in operatione sic: Est ratio exequutiua eius, quod fieri debet.

Dictæ

Dictæ species possunt dici gradus, quia vna veritas ordinatur ad aliam: Et prima est causa secundę, Hæc tertiæ, & Tertia quartæ. Arg. ibidē.

Finis Veritatis est intellectus, vt perficiendus; & est illius obiectum. Ex Arist. dicuntur.

Operatio est manifestatio. Ex dictis.

Forma est ratio manifestatiua. Idem.

Materia sunt omnia entia mundi, tam naturalia, quam supernaturalia; quia in omnibus, à Deo per naturam, ratio sui manifestatiua concessa est: Et omnia, quatenus entia sunt, vera sunt. Metap. lib. 2. 3. & 4.

Efficiens Veritatis est prima veritas Deus; Ipse enim omnibus rebus lumen, & rationem sui manifestatiuam concedit. Ex Euāg. Ioan. c. 1.

Proprietates veritatis sunt; Prima, quod sit Vna: Secunda, quod in qualibet re omnia veritati consona sint; Tertia, quod sit obiectum intellectus, & perficiat illum: Quarta, quod ad diuinam bonitatem glorificandam sit ordinata: Veritas enim efficit manifestationem diuinæ bonitatis: Hæc manifestatio notitiam cum laude: Gloria autem sic diffinitur: Est clara cum laude notitia. Doct. Cath lib. 1. dist. 3. Ex Theologia. Ex Philosophia.

Singula entia mundi plures habent veritates partiales; veluti vera diffinitio; veræ causæ; veræ proprietates; operationes; partes; & similia; & istæ omnes veritates habent inter se quandam vnionem, connexionem, atque proportionatam consonantiam à proprio fine rei acceptam; per quam vna sola veritas totalis, & completa facta est; veluti aurum verum dicitur illud, quod habet omnia, quæ illi per se conueniunt, nempe causa & alia iam dicta. Aristot. 1. Ethic. c. 8. & alibi.

CAP. III.

De intellectu, de cognitione, de lumine.

Ex Arist. lib. de Anima.

IN cognitione rerum quatuor possunt considerari: Primo obiectum, seu res cognoscenda; Secundo potẽtia cognoscitiua; Tertio Lumen; Quarto Cognitio.

Meta. lib. 3. & 4.

Obiectum sunt omnia entia mundi, & veritates illorum.

Lib. de an.

Potentia cognoscitiua in homine, alia est intellectus; qui cognoscit Vniuersalia, & omnia: Alia est sensus; qui cognoscit singularia, & ea, quæ sensibilia sunt: Et cognitio incipit in sensu, & perficitur in intellectu.

Arg. lib. de ani.

Cognitio sic potest diffiniri: Est manifestatio facta in intellectu, vel in sensu cum aduertentia illius. Hæc autem manifestatio, mediante lumine fit, iuxta illud Apostoli; Omne, quod manifestatur, lumen est.

Experiẽtia

Hoc lumen aliud naturale, aliud supernaturale.

Ex Theologis. Doctr. Cath. lib. 1. distinct. 1.

Item potest dici quadruplex: Primum Naturæ: Secundum Fidei; Tertium Gratiæ; Quartum Gloriæ; & primum ordinatur ad secundum; Hoc ad tertium, & ad quartum.

Ratio & experientia. Doctr. Cath. ibid.

Illorum differentia tali exemplo declaratur: Lumen naturæ est veluti lumen candelæ in nocte lucẽtis: Lumen fidei simile est lumini Lunæ: Lumen gratiæ lumini in die non claro, sed nebuloso. Lumẽ gloriæ lumini Solis in die claro, atque sereno simile est.

Ex Script. Doct. Cha. ibidem.

Regnum Dei continet, tum Deum omnia faciẽtem; tum omnia; quæ ab illo extra se facta sunt: Et

sic

ſic poteſt diffiniri: Eſt totus mundus à Deo legibus, & prouidentia gubernatus.

Hoc regnum in ſeipſo omnes res, & omnes continet veritates; & eſt obiectum intellectus; & per quadruplex lumen dictum illi manifeſtatur; & hæc manifeſtatio ad claram de Deo notitiam habendã eſt ordinata. Ibidem.

Catholici, Lutherani, Caluiniſtæ, & omnes homines de hoc regno tenentur habere veram, certã, diſtinctam, & completam cognitionem: Sed non omnes illam obtinent; imò plurimi circa illam errant: Præcipuè autem inter Catholicos, & hæreticos controuerſia de vera fide, & cognitione agitata eſt; & modo quærimus Certitudinem veritatis: Hæc enim à Deo per Chriſtum reuelata eſt: Et quęrenda eſt veritas certa, & completa de regno Dei; Primo à parte rei conſiderato; Secundo prout in cognitione, in oratione, & in exequutione hominũ, veritas, aut falſitas reperitur. Experiẽtia

Omnes Hæretici cuiuſcunque Sectæ prætendunt ſuam cognitionem, & fidem de Deo eſſe veram; Catholici, firmiter dicunt, ſolam fidem Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ veram eſſe: Et nunc de veritate cognitionis, orationis, exequutionis, & ipſius Regni Dei certitudo quærenda eſt. Idem.

CAP. IV.

De certitudine quid, & quotuplex ſit.

CErtitudo, & dubietas opponuntur, & ſic poſſunt diffiniri. Doct. Cath. lib. i. diſtinct. 4.

Certitudo eſt Firmitas veritatis, vel vt ait S. Paulus, Firmamentum veritatis. Vbi enim eſt certitudo, ibi eſt firmitas veritatis, &

CAP. III.

De intellectu, de cognitione, de lumine.

Ex Arist. lib. de Anima.

IN cognitione rerum quatuor possunt considerari: Primo obiectum, seu res cognoscenda; Secundo potẽtia cognoscitiua; Tertio Lumen; Quarto Cognitio.

Meta. lib. 2. & 4.

Obiectum sunt omnia entia mundi, & veritates illorum.

Lib. de an.

Potentia cognoscitiua in homine, alia est intellectus; qui cognoscit Vniuersalia, & omnia: Alia est sensus; qui cognoscit singularia, & ea, quæ sensibilia sunt: Et cognitio incipit in sensu, & perficitur in intellectu.

Arg. lib. de ani.

Cognitio sic potest diffiniri: Est manifestatio facta in intellectu, vel in sensu cum aduertentia illius. Hæc autem manifestatio, mediante lumine fit, iuxta illud Apostoli; Omne, quod manifestatur, lumen est.

Experiẽtia

Hoc lumen aliud naturale, aliud supernaturale.

Ex Theologia. Doctr. Cath. lib. 1. distinct. 1.

Item potest dici quadruplex: Primum Naturæ: Secundum Fidei; Tertium Gratiæ; Quartum Gloriæ; & primum ordinatur ad secundum; Hoc ad tertium, & ad quartum.

Ratio & experientia. Doctr. Cath. ibid.

Illorum differentia tali exemplo declaratur: Lumen naturæ est veluti lumen candelæ in nocte lucẽtis: Lumen fidei simile est lumini Lunæ: Lumen gratiæ lumini in die non claro, sed nebuloso. Lumẽ gloriæ lumini Solis in die claro, atque sereno simile est.

Ex Script. Doct. Cha. ibidem.

Regnum Dei continet, tum Deum omnia faciẽtem; tum omnia; quæ ab illo extra se facta sunt: Et

sic

ſic poteſt diffiniri: Eſt totus mundus à Deo legibus, & prouidentia gubernatus.

Hoc regnum in ſeipſo omnes res, & omnes continet veritates; & eſt obiectum intellectus; & per quadruplex lumen dictum illi manifeſtatur; & hæc manifeſtatio ad claram de Deo notitiam habendã eſt ordinata. Ibidem.

Catholici, Lutherani, Caluiniſtæ, & omnes homines de hoc regno tenentur habere veram, certã, diſtinctam, & completam cognitionem: Sed non omnes illam obtinent; imò plurimi circa illam errant: Præcipuè autem inter Catholicos, & hæreticos controuerſia de vera fide, & cognitione agitata eſt; & modo quærimus Certitudinem veritatis: Hæc enim à Deo per Chriſtum reuelata eſt: Et quęrenda eſt veritas certa, & completa de regno Dei; Primo à parte rei conſiderato; Secundo prout in cognitione, in oratione, & in exequutione hominũ, veritas, aut falſitas reperitur. Experiẽtia

Omnes Hæretici cuiuſcunque Sectæ prætendunt ſuam cognitionem, & fidem de Deo eſſe veram; Catholici, firmiter dicunt, ſolam fidem Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ veram eſſe: Et nunc de veritate cognitionis, orationis, exequutionis, & ipſius Regni Dei certitudo quærenda eſt. Idem.

CAP. IV.

De certitudine quid, & quotuplex ſit.

CErtitudo, & dubietas opponuntur, & ſic poſſunt diffiniri. Doct. Cath. lib. 1. diſtinct. 4.

Certitudo eſt Firmitas veritatis, vel vt ait S. Paulus, Firmamentum veritatis. Vbi enim eſt certitudo, ibi eſt firmitas veritatis, &

è contra: Dubietas sic diffinitur; Est incertitudo veritatis.

Ex dictis Doctr. ibi. Quadruplex est certitudo; & prima est in obiecto; secunda in cognitione, seu in cognoscente: tertia in oratione, seu in loquente: quarta in operatione consideratur.

Doctr. ibi. Certitudo obiectiua sic potest describi: Est clara manifestatio à parte rei eius, quod est; Et hæc sæpissime fit per sensum.

Ibidem. Certitudo cognitionis sic potest diffiniri: Est firma, & bene fundata adhæsio intellectus ad rem intellectam, & sensus ad rem perceptam: Vel sic: Est bene fundata cognitio, quod ita sit in re, sicuti à nobis cognitum est; & quod res non possit aliter se habere, quam à nobis cognitum sit: Dubietas erit obscura manifestatio, & debilis, seu non plene fundata adhæsio intellectus ad rem intellectam.

Ar. 1. post. c. 2. & seq.

Lib. Præd. de subst. Certitudo orationis, ait Aristoteles, fundatur in veritate rei; iuxta illud; Ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa.

Ex Euang. Doctr. Cath. lib. 6. Certitudo exequutionis; veluti, an hæc operatio sit bona, vel mala, desumitur à lege, quæ præcipit illam: Illa enim operatio est vera, quæ est conformis legi eam præcipienti; illa falsa; quæ dictæ legi contraria est.

Hæc certitudo maximè conuenit fidei; quia, qui est dubius in fide, non habet fidem; Nunc autem quærendum, quænam vera, & certa fides sit.

Finis huius operis est examinare de Regno Christi veritatem, & certitudinem; Primo à parte rei; secundo in cognitione; tertio in oratione; quarto in exequutione: Sic enim completa de regno Christi consideratio habita erit.

CAP. V.

De quadruplici fundamento certitudinis.

DVplex eſt fundamentum certitudinis, quæ in cognitione reperitur; de hac enim principaliter eſt ſermo: Et vnũ eſt euidentia; Aliud eſt dictum illius, qui in dicendo non poteſt errare. Doctr. Cath. l. 1. Diſt. 4.

Euidentia autem eſt clara videntia; quæ duplex eſt, nempe vna in ſenſu, alia in intellectu: Ille etiã, qui in dicendo non poteſt errare duplex eſt; nempe Deus, qui ex ſua natura non poteſt errare; Aliud Eccleſia, quæ; non ex natura, ſed ex priuilegio hoc habet: Quadruplex ergo eſt verum fundamentũ certitudinis. Ibidem.

Primum eſt dictum Dei. Ibidem.

Secundum, dictum verę Eccleſiæ Catholicæ aliquid de fide determinantis.

Tertium, Euidentia intellectus.

Quartum, Euidentia ſenſus. Et hæc in Doctr. Cath. explicata, atque probata ſunt.

Catholici, quos hæretici vocant Romanos, omnem ſuam cognitionem, & fidem de regno Dei, ſuper hæc quatuor fundamenta ſtabiliunt: ideo verã certitudinem habere poſſunt; Hæretici, & tales voco omnes illos, qui ab Eccleſia Catholica Romana recedunt, profitentur velle vti vnico fundamento, hoc eſt verbo Dei, illoque tantum ſcripto; ſed decipiuntur; quia omnia iam dicta fundamenta omnino neceſſaria ſunt ad certitudinem doctrinę Euãgelicæ firmiter ſtabiliendam; vt ſuo loco probatum erit: Hic breuiter dicam rationem; Fideles debent habere completam, & certam cognitionem de re- Doct. Cath. l. 1. diſt. 1. 3. & 4. Bellarm. in Cõtrou. Probatur ex Doctr. Cath. li. 1. Diſt. 1.

gno Dei, & de omnibus, quæ in illo sunt; veluti de Ecclesia, & Baptismo, & alijs; Sed in regno Dei plurimæ sunt res naturales, quarum cognitio per sensum, & per intellectum habetur; vt inferius explicabitur; Ideo vera cognitio de regno Dei quatuor iam dicta certitudinis fundamenta requirit: Sit exemplum. Demus, quod Primatus Rom. Pont. Sit de substantia regni Christi; Tunc per euidentiã sensus, & intellectus fiet certum, quod sola Ecclesia Catholica Romana profitetur hunc Primatũ apud se esse: Et ex hoc intellectus euidẽter deducet, quod in sola Ecclesia Romana verum sit regnum Christi: Idem est de alijs veritatibus.

Ibid. lib. 3.

Vide in Doctr. Ca. lib. 5.

Omnis ergo rectitudo fundatur vel in dicto eius, qui non potest errare, vel in euidentia sensus, & intellectus, vel etiam in vtroque, & ideo in dictis omnibus quærenda est.

CAP. VI.

De certa, & non certa probatione.

Doctr. Ca. l. 1. Dist. 5. Ar. 1. post. cap. 1.

PRobatio sic potest diffiniri: Est argumentatio, per quam ex cognitione rei notæ, deducitur cognitio rei ignotæ. Omnis autem probatio in hac duplici propositione fundata est.

Ibi. Doctr. Ca. Arist. in li. præd. c. 10. de oppo. & 11. de Simul. Et ex lib. prior. & post.

Prima propositio est hæc: Quotiescunque aliqua duo ita sunt, vel semper, vel in aliquo casu, inter se connexa, vt nullo modo vnum possit esse sine alio; Tunc si quis, vel certo, vel probabiliter cognoscat vnum illorum esse, vel non esse in aliquo tertio; per illud cognitum poterit probare, quod eidem tertio etiam aliud non cognitum insit. Exemplum sit: Habere pulmonem, & respirare, ita sunt inter se

con-

connexa, vt vnum non possit esse sine alio; ideo, si cognouero ex vna parte hanc connexionem; ex alia, quod pulmo non est in pariete, & est in equo; ex hoc noto probabo, quod in equo sit respiratio, & in pariete non: Idem est si in tali loco video fumum, & non video ignem.

Secunda propositio est; Quando aliqua duo ita sunt inter se disparata, & disiuncta, vt impossibile sit vel semper, vel in aliquo casu, quod ambo simul in eodem tertio, seu subiectò sint; tunc si quis cognoscat ex vna parte hanc disiunctionem; ex alia, vel certo, vel probabiliter sciat, quod vnum illorũ sit, vel non sit in aliquo tertio; Tunc dico poterit per illud notum probari, quod ignotum est: Et declaratur exemplo: Dies, & nox non possunt simul esse in terra; & hoc omnibus notum est: Si quis ergo videat modo adesse noctem, probabit non adesse diẽ: & ex eo, quod in terra non videt noctem, probabit adesse diem: Et idem in alijs est. Ibidem. Doctr. Ar.

Probatio alia est certa, alia probabilis. Ibidem.

Certa est illa, quæ habet duplicem certitudinẽ; prima est, quod aliqua duo infallibiliter, vel semper, vel in aliquo casu simul sint; vel è contra simul esse non possint; secunda est, quod certo cognoscatur, vnum duorum dictorum alicui tertio adesse, vel abesse: Tunc enim ex hac duplici certa cognitione fit certa probatio, quod aliud vel adsit, vel nõ adsit illi tertio; & res patet per exempla iam dicta. Ibidem.

Probabilis est illa, quæ duplicem dictam cognitionem, vel etiam vnam tantum, probabiliter habet: Clarius autem sic possunt diffiniri. Ibidem. Et li. Top.

Certa probatio est illa argumẽtatio, in qua vtraque præmissa est certa, & certo constat de legitima consequentia: Probabilis est illa, in qua, saltem vna præmissa non est certa, sed probabilis, & legitima consequentia. Ibidem.

Præ-

Doct Cath lib. 1. dist. 5 Præmissa autem est certa, quotiescunque, vel per euidentiam sensus, aut intellectus, vel per dictum Dei, aut Ecclesiæ, habetur certa cognitio, quod ita sit in re, sicut ab illa propositione significatum est; Ex Arist. 1. post. cap. 2. Veluti hæc propositio; Aqua maris, est naturalis, idest facta non ab arte, sed à natura, est certissima, quia per euidentiam sensus apertissime cognoscitur, quod ita sit in re, sicut ab illa significatum est: Idem est de alijs.

Doct. Cath lib. 4. dist. 5 De consequentia autem duplici modo habetur certitudo, quod legitima sit: Primus est, cum intellectui per se euidens est; quod talis consequentia, iuxta regulas logicas, facta sit: Veluti de hac argumentatione; Prima veritas non potest errare; Deus est prima veritas; ergo Deus non potest errare; intellectui euidens est, quod illius consequentia, iuxta regulas logicas, facta sit.

Doct Cath lib. 4. dist. 5 Alter modus est, cum consequentia non est omnino iuxta regulas logicas, sed quia facta est ab illo, Ex Scriptura. qui in tali consequentia facienda non potest errare, ex hoc habetur certitudo, quod legitima sit: Vide I Doctr. Cath. lib. 4. dist. 5 Veluti; Quod infantes possint baptizari in fide parentum; per logicam consequentiam ponamus, quod ex Scriptura non possit certo deduci; Sed quia Ecclesia hanc facit deductionem; talis deductio, & cõsequentia certa, & legitima erit: Idem est de illa propositione; Mater Christi fuit virgo post Partũ: Idem in alijs.

Ibidem. Certa igitur probatio erit, quæ modo dicta est: Habet enim certum fundamentum in illo, quod habet necessariam connexionem cum veritate. Dictum enim Dei, & Ecclesiæ, quia non possunt errare, necessario habent connexionem cum veritate; ideo per hæc dicta rectissime probatur, quod ita sit in re, sicut ab illis significatum est: Ita per euidentiam sensus, & intellectus probatur, illud ita esse in

re, sicut

re, sicut ab illis cognitum est; veluti, quod Ecclesia Catholica ante vsum rationis infantes baptizet.

Ioannes. Notata; diffinitio allata certæ, & non certæ probationis est optima regula ad examinandum, & cognoscendum, an Catholici, & hæretici possint, vel non possint facere; Item faciunt, vel nõ faciunt de sua doctrina certas, vel non certas probationes: Ideo valde notanda est. Ratio. Ar. 1. & 2. post.

Notandum etiam, quod, qui ignorant Logicam artificialem, cum difficultate possunt examinare, & iudicare, quænam probatio certa, vel non certa sit; ideo vsus illius, ad hoc præstandum quam maximè prodest. Prodest tamen ex parte Logica naturalis, quæ à Deo omnibus, licet magis vni, quam alteri, per naturam, concessa sit. Sed artificialis, si recte percipiatur, hoc multo melius efficiet; ideo vtilissima est. Ex Arist. 1. post. & 1. Topico, & 1 Metaph.

CAP. VII.

De certa probatione affirmatiua, & negatiua.

IOannes. Hoc loco maxime refert, vt à vobis notatum sit, quod hæretici sæpissime faciunt probationes negatiuas; quia illorum doctrina ex maiori parte est negatiua: Student enim negare illa omnia, quæ ab Ecclesia Catholica de S. Euangelio proposita sunt. Suas autem probationes negatiuas sæpissime faciunt cum mala consequentia, vt à me modo explicatum erit. Doct. Cath. lib. 1. dist. 4. & 5.

Sciendum ergo, quod ad efficiendam probationẽ affirmatiuam, sufficit probare, quod talis res alicubi sit: ad efficiendam vero negatiuam absolutam, necesse Ratio. sensus. Experiẽtia ex lib. priorum & poster.

necesse est probare, quod nullibi sit; & non sufficit probare, quod hic, vel ibi non sit: Veluti ad probandam affirmatiuam, quod Phenix sit, sufficit probare, quod alicubi, etiam in vno tantum loco, sit; ad probandam vero negatiuam; necesse est probare, quod nullibi sit: Si quis enim hanc faciat consequētiam; Sol est in cęlo, ergo est; Rex Galliæ regnat in Gallia, ergo est rex: legitimæ erunt consequentiæ; Verum si quis ita argumentetur; Sol non est in terra, ergo non est: Rex Galliæ non regnat in Hispania, ergo non est rex; falsæ, & sophisticæ erunt probationes, & consequentiæ. Idem in alijs erit.

Ratio, Sensus, Experientia. Nunc ad propositum nostrum; Ecclesia Catholica tradit doctrinam affirmatiuā de regno Christi; De S. Euangelio; de Sacramentis; de Sacrificio missæ; de Sacerdotio; & alijs; & suas affirmationes probat per dictum Dei, & Ecclesiæ; Item per euidentiam sensus, & intellectus: Loca enim propria Scripturæ dicta affirmantia affert: Probat per dictum, & per factum Ecclesiæ: Probat per euidentiam sensus, & intellectus; sic; Modo sensui euidens est, qđ in Ecclesia Catholica Romana verè, & realiter talis doctrina tradita est, ita vt neque hæretici possint hoc negare: Per eandem euidentiam probant, quod ante Lutherum, & Caluinum Catholici erant ibi, vbi modo Lutherani, & Caluinistæ, qui illa negant, sunt: Idem probant in præteritis seculis semper fuisse. Et sic dictæ affirmationes vndequaque certissimum fundamentum habent.

Experiētia Hæretici è contra omnia dicta negant: Et suas negationes probant, quia dicta apud hæreticos non reperiuntur: Hoc autē est facere talem consequentiam: Sacrificium missæ non est hic; ergo nullibi est; non est modo apud hæreticos; ergo nunquam fuit. Quod falsum est.

Ratio. Probationes ergo Catholicorum affirmatiuæ solidum

lidum habent veritatis fundamentum; Hæreticorum probationes negatiuæ sophisticæ sunt. Et de hoc clarius infra dicetur.

Nunc sufficiat explicasse differentiam inter probationem affirmatiuam, & negatiuam: veluti, datur, & non datur sacrificium Missæ, idem de alijs: aliter enim affirmatiua, aliter negatiua probanda est.

CAP. IX.

Proponuntur sex probationes, quæ certæ esse possunt.

Ex dictis colligitur, quod sex probationes certæ esse possunt. Doct. Cath. li. 1. dist. 5.

Prima, est per verbum Dei non scriptum, & per rem ab illo significatam.

Secunda, est per verbum Dei scriptum, & per rē ab illo significatam.

Tertia, est per dictum, & factum Ecclesiæ.

Quarta, est per euidentiam intellectus.

Quinta, est per euidentiam sensus.

Sexta est mixta ex aliquibus, vel ex omnibus iam dictis.

Dictæ probationes, non dico sunt certæ, sed possunt esse certæ: Non enim omnis probatio, quæ fit per Verbum Dei, vel per dictum Ecclesiæ, vel per euidentiam sensus, certa est; Sed illa tantum erit certa, quæ habet conditiones requisitas, vt certa sit: Nunc autem, quæ sint illæ conditiones, explicandũ est in singulis.

CAP. IX.

De certa probatione per verbum Dei scriptum, & non scriptum.

De hoc Doctr Ca. l.1. Dist.5. ca.5. & 6 & seq.

PRobatio, quæ fit per Verbum Dei, optima est: Talis autem probatio non semper est certa; sed tum probabilis, tum sophistica esse potest: Nunc de certa sermo est: Vt autem hæc certa fiat probatio, necesse est, vt certæ cognitiones sequẽtis habitæ sint.

Doctr. Ca. l.1 Dist.5. cap.5.

Primo necesse est habere, & supponere certam cognitionem, quod Deus non possit nec errare, nec mentiri, nec decipi: Et hæc certa cognitio habetur per euidentiam intellectus, & lumine naturali, tali argumentatione: Prima veritas non potest mentiri: Deus est prima veritas: ergo Deus non potest mentiri.

Ibid.

Secundo, necessarium est habere certam, & indubitatam cognitionem, Quod hoc verbum præcise consideratum sit vere Verbum Dei: Et quod hic textus Biblicus sit verus, certus, & authenticus. Idẽ de verbo Dei non scripto: Si enim dubium sit, esse tale; nunquam verbum illud poterit esse mediũ ad certam probationem faciendam; quia ex quo dubitatur, an sit verbum Dei, dubitatur etiam, an habeat certitudinem veritatis.

Ibidem.

Tertio, necesse est habere, non dico probabilem, sed certam cognitionem; quod vera, & propria significatio dicti verbi sit hæc; & quod hæc sit vera, & certa intelligentia, & interpretatio illius: Si enim sit dubium de vera significatione; erit etiam du-

dubium de re significata; Ideo verbum Dei non probabit cum certitudine rem, quæ ab illo dubio significata est.

Quarto, necesse est cum certitudine cognoscere, quod hæc res præcise considerata, sit illud, quod à verbo Dei significatum est, veluti quod Baptismus est necessarius ad salutem. **Ibidem.**

Qui has quatuor cognitiones certas habet; obtinebit per illas certam probationem, quod dicta res à verbo Dei significata vera sit; Si enim Deus non potest mentiri; Si certum est, ipsum dicere, quod Baptismus sit necessari⁹, omnino verũ erit, ita esse; quia dictum Dei habet infallibilem veritatem. **Ibidem.**

Verum, si vna ex dictis cognitionibus certa non sit, neque erit probatio certa; quia si quis dubitet, an Deus sit veridicus; vel an hoc dictum sit Dei; vel an tale dictum Dei significet hoc de Baptismo; nihil certi probabitur de illo. **Ibidem.**

Ratio dictorum est; quia hæc tria; Verbum Dei significans; Et illius significatio; & res ab illo significata; omnino inter se adeo necessariam connexionem habent, vt vnum per aliud cum certitudine probari possit: Impossibile est enim, quod Verbum Dei sit significans, si suam non habet significationem; & impossibile est, dari significationem absque eo, quod aliqua res sit significata: Ideo per regulas supradictas vnum per aliud probari potest. **Ratio. Doctr. C. 1. 2. Dist. 1.**

Omnes ergo veritates à Deo de regno Christi reuelatæ per hanc probationem certæ fieri debent. **Ibidem.**

CAP.

CAP. X.

De certa probatione, ex re à verbo Dei significata.

Ex S. Paulo Ro. 8.

Doctr. Ca. l. 1. Dist. 5. & l. 2. dist. 3.

PRobatio, quæ fit per verbum Dei, duplex est; nempe vna immediata, alia mediata: Immediata est illa, quæ dicta est; in qua per verbum Dei immediate probatur veritas illius rei, quæ ab illo significata est. Mediata est illa, quæ vtitur tanquam medio ad aliquid probandum, re illa, quæ à verbo Dei significata est: Sit exemplum ex S. Paulo: Hæc propositio, Christus est Filius Dei, est res à verbo Dei significata: S. Paulus vtitur hac re significata ad aliud probandum sic; Si est filius, ergo hæres: Hæc enim duo esse filium, & esse hæredem, necessariam, & naturalem inter se habent connexionem, ideo ex vno potest probari aliud. Idem est si dicatur. Abraam genuit Isaac, ergo pater eius est.

Ex Arist. in Log. Ex Conc. Trid. sess. 13. ca. 3. & Can. 1.

Quotiescumque ergo certum est, quod res à verbo Dei significata infallibilem habet cõnexionem, vel disiunctionem cum aliqua alia re; siue hæc certa cognitio habeatur lumine naturali, vt dictum est de filio, & de hærede; vel lumine fidei, veluti, quod verá Ecclesia semper habeat annexũ verũ Euãgeliũ: Tunc dicta res à verbo Dei significata erit optimum medium ad probanda cum certitudine illa omnia, quæ sibi infallibiliter vel vnita, vel disiũcta esse, cognitum est. Exempla sint. Christus est Filius; ergo hæres: Est homo, ergo habet voluntatem humanã. Ecclesia Romana est vera Ecclesia, ergo habet verum Euangelium.

Hæc

Hæc probatio tunc erit certa; cum has certas habebit cognitiones. Doct. Cath li. 1. dist. 5. cap. 5.

Prima est, quod res illa vere sit à verbo Dei significata; & quod ita sit, per verbum Dei cum certitudine sit probatum, veluti Christus est filius Dei. Arist. lib. prior. & poster.

2. Necesse est habere certam cognitioné siue naturalem, siue supernaturalem, quod talis res significata habeat infallibilem coniunctionem, vel disiunctionem cum aliqua alia re; Veluti ex Apostolo, & ex natura rei; Esse filium habet infallibilem disiunctionem à seruo; & coniunctionem cum hærede, vt dictum est. Vide dist. sequenti.

Vbi istæ duæ cognitiones certæ sunt, ibi per rem à verbo Dei significatam potest fieri certa probatio, quod aliqua alia res sit, vel non sit, Vbi desit certitudo in vna, non poterit fieri certa probatio. Arist. lib. poster.

CAP. XI.

De certa probatione per dictum Ecclesiæ.

DIctum Ecclesiæ voco illud, in quo aliquid ab illa tanquam certum de fide determinatur: Per hoc enim dictum certa probatio fit: Vt autem fiat cum certitudine dicta probatio, necesse est, vt cognitiones, quæ modo dicentur, cum certitudine habitæ sint.

Prima est certa cognitio, quod vera Ecclesia in dicto suo non erret. Doct. Cath lib. 1. dist. 5

Secunda, certa cognitio est, quod hæc sit vera Ecclesia, vt Catholica Romana. Ibidem.

Tertia, necesse est certo cognoscere, quod hoc sit dictum talis Ecclesiæ. Ibidem.

Quarta, Certo cognoscere, quod hæc sit res ab illo dicto significata. Ibidem.

Qui habet omnes dictas certas cognitiones, poterit cum certitudine per dictum Ecclesiæ probare rem, per illud dictum significatam: Si vero vna ex dictis cognitionibus non sit certa, erit impossibile, quod ex illis certa fiat probatio de re ab illo dicto significata.

Hęc est prima probatio, in qua per dictum Ecclesiæ probatur res ab illo significata.

Vide supra ca. præced. Post hanc datur alia; in qua per rem significatam probantur illa omnia, quæ cum illa habent infallibilem coniunctionem, vel disiunctionem. Et hæc est certa, cum habetur certa cognitio; primò de re à dicto Ecclesiæ significata: Secundò, de infallibili coniunctione, vel disiunctione; exemplum sit tale: Per dictum Ecclesiæ probatur esse veritatem reuelatam, quod peccatum originale per solum remittitur Baptismum; Hinc fiunt tales probationes; Non baptizatus habet peccatum originale; Est filius irę; Caret gratia Dei; Si moritur talis, damnabitur; Item sic; Baptizatus non habet peccatum originale; Per Baptismum obtinet gratiam; Fit membrum Christi, & Ecclesiæ: Si moritur in gratia, saluabitur. Idem de alijs: Veluti, Confirmatio est vnum ex septem Sacramentis, ergo confert gratiam.

Hæc probatio in regno Christi est frequentissima, quia Ecclesia est firmamentum veritatum, quæ regno Christi conueniunt; Omnes enim veritates reuelatæ, primo quidem per verbum Dei; immediate autem per dictum Ecclesiæ probatæ sunt. Per hanc etiam probatur verus textus Biblicus, vera traditio, vera summa Euangelica; Hæreses deteguntur; Demum est certitudinis fundamentum.

CAP.

CAP. XII.

De certa probatione ex lumine naturali.

TVnc probatio, quæ fit lumine naturali, certa eſt, quando ambæ præmiſſæ lumine naturali per ſe notæ ſunt, & conſequentia legitima eſt: Exemplum ſit hoc. Prima veritas non poteſt errare; Deus eſt prima veritas; ergo Deus non poteſt errare. Conſequentia enim legitima eſt,& ambæ præmiſſæ ex lumine naturali intellectui per ſe notæ, & euidentes ſunt. Ariſt. lib. 1 poſt.

Sicut autem in regno Dei ſunt plurima entia, & plurimæ veritates naturales; ita in illo plurimæ fiet certæ probationes, quæ vtranque præmiſſam in lumine naturali fundatam habebunt, veluti eſt illa, quæ modo dicta eſt. Hæc probatio probat Deum eſſe; Deum non poſſe mentiri; Eſt fundamentum fidei; Quia fides eſt argumentum non apparentiũ: De ijs enim, quæ apparent, affirmat ea, quæ non apparent: per hanc in regno Dei veritates naturales probatæ ſunt. Arg. ibid.

CAP. XIII.

De certa probatione ex lumine tum fidei, tum naturali.

HÆc probatio fit, cum vna præmiſſa eſt certa de fide, alia eſt certa per euidentiam, vel ſenſus, vel intellectus: Exemplum ſit.

Aqua naturalis eſt legitima materia Baptiſmi: De hoc Ariſt. lib. 1. poſt. ca. 1. vbi, de triãgulo in genere, & in particulari cõſiderato

Hæc aqua, seu Contentum in hoc vase, est aqua naturalis: ergo hæc acqua est legitima materia Baptismi: Maior enim est certa de fide; minor per euidentiam sensus certa fit, & consequentia legitima est.

In regno Dei, in quo plura entia sunt mixta ex naturali, & supernaturali; item fiunt plurimæ propositiones ex vno termino naturali, & ex alio supernaturali; item in illo plurimæ probationes ad sensum, vt iam dictæ, terminatæ sunt; hæc probatio frequens est; & per illam probantur actiones particulares, & omnia singularia, quæ in regno Dei sunt. Probantur etiam in particulari veræ materiæ, & formæ Sacramentorum; veri ritus, & cæremoniæ; Vera obseruantia S. Euangelij; Veræ actiones virtuosæ; verum Sacerdotium; nec non veri Sacerdotes; si tamen in singulari, non in specie, considerati sint.

Arg. ex Arist. ibidē.

CAP. XIV.

De certa probatione per euidentiam sensus.

Ex Arist. loco citato cap. 1. & cap. 14.

PRobatiò certa fit per euidentiam sensus, cum per dictam euidentiam ostenditur aliquid esse; Veluti per sensum certissime, & euidentissime probatur, quod modo sunt Lutherani, & Caluinistæ, & Catholici: Item, quod datur Ecclesia Romana, & quod illa profitetur, & docet se habere Diaconos; Sacerdotes; Episcopos; Summum Pontificem; & sacrificium Missæ; Et quod affirmat septem esse Sacramenta, & vtitur illis.

Hæc

Hæc probatio in regno Dei summe necessaria est: Cum enim omnia, quæ sunt in regno Christi, necessario indiuidua, & singularia sint; Vniuersale enim nullibi reperitur: Sensus autem solus primo singularia cognoscat; impossibile est de his, quę in regno Christi sunt, alia ratione habere cognitionem, quam per sensum; loquendo de his, quæ vel in totum, vel ex parte sensibilia sunt: Per sensum enim cognoscitur, an hic textus sit Biblicus; an ab Ecclesia Romana sit approbatus; an Catholici illo vtantur; Quæ verba in illo contineantur; In quo differat à textu hæreticorum; Probatur etiam quæ, & quot sint *Sectæ* hæreticorum; Qui in illis ministri sint; Quæ hæresis; quæ fides in illis: Probatur, quis in hac familia sit maritus, & vxor; pater, & filius, dominus, & seruus: Quis in hac ciuitate sit Catholicus, vel hæreticus, sit Episcopus, *Sacerdos*, Curatus; Quis pro tempore sit Romanus Pontifex; Quæ sit completa summa Euangelica apud Catholicos, & hæreticos; Idem de fide, & de operibus: Quæ actio sit furtum, vel eleemosina, vel oratio: Quæ Ecclesiæ præcepta: Quid sit Concilium Tridentinum; & quænam in illo determinata sint: Vos cætera considerate. Arg. ex Arist. ibidē.

CAP. XV.

Ostenditur dari sex dictas probationes, & esse necessarias in regno Dei.

IOANNES. Breuiter ostendam, dari sex dictas probationes, & esse necessarias ad certā cognitionem efficiendam de veritatibus Regni Dei. Prima probatio est per verbum Dei non scriptū; & per Diuinam Traditionem: Hanc negant hæretici, & in illorum Ecclesia non datur: Sed certum est, dari in Ecclesia Romana, quæ est vera Ecclesia; & hoc sufficit ad probandum, quod detur: Est necessaria ad probandum verum Textum Biblicum; Completam summam S. Euangelij; Symbolū Apostolorum, & illius veritatem: Numerum Sacramentorum, & materiam, atque formam illorum; Primatum Romani Pontificis: Sacrificium Missæ; & alia plurima; quæ magis facto, quam scriptura tradita sunt.

Doctr. Ca. l. 1. Dist. 5.

Probationem ex scriptura Catholici, & hæretici affirmant, & est necessaria ad omnia fere de regno Christi probanda.

Ibidem.

Probatio per dictum, & factum Ecclesiæ videtur ab hæreticis negari; Sed nimis absurda est hæc negatio; quia est contra Scripturam, & SS. Patres. Catholici omnes illam affirmant, & apud illos datur: Et est necessaria ad dandam singulis fidelibus certam fidem, & cognitionem de veritatibus à Deo reuelatis; de vero Textu Biblico; de diuinis Traditionibus; de vera interpretatione verbi Dei; De vera obseruantia S. Euangelij; Item de erroribus, & hæresibus, alijsque multis.

Cōc. Trid. sess. 4. c. 1. & 2.

Probatio per lumen, & per euidentiam intelle-

ctus

ctus, videtur ab aliquibus hæreticis negari, qui dicunt; Volumus solam Scripturam; Catholici omnes illam affirmant; & probatur necessitas, quia in illa omnis certitudo doctrinæ à Deo reuelatæ fundata est; nempe in hac; Prima veritas non potest errare; Deus est prima veritas: ergo non potest errare; ergo certa fide illi credendum est. Ideo negare hanc probationem, est negare omnem veritatem: In hac probatione tota Logica, & Philosophia fundata est; & per illam omnia, quæ in regno Dei naturalia sunt, probantur; Regnum enim Dei est quid mixtum ex ente naturali, & supernaturali; ideo hæc probatio illi necessaria est. Doct. Cath lib. 1. dist. 5 Arist. in Logica.

Probatio per sensum videtur ab aliquibus hæreticis negari, dum dicunt, Volumus solam Scripturam, & illius probationem: Sed hæc negatio fatua nimis est, & omnino contraria scripturæ; Apostoli enim omnem certitudinem de dictis, & factis Christi, in euidentia sensus fundabant, iuxta illud; Non possumus, quæ audiuimus, & vidimus, non loqui: Nunc etiam per sensum fit certa probatio, quod Ecclesia Romana profitetur, & docet, se habere Sacrificium Missæ; Primatum Romani Pontificis; Textũ Biblicum ab illa approbatum; Septem sacramenta; & alia; quæ non esse in Ecclesia Lutherana, & Caluinistica, per sẽsum certissima fit probatio; Hinc apparet, maximam esse demẽtiam, negare sensum, in quo omnis humana cognitio ex Aristotele, & alijs fundata est. Arist. lib. 4. post. cap. 1. & 14.

Probatio mixta, quæ fit partim ex lumine naturali, partim ex lumine fidei, nempe ex vna præmissa certa de fide, & ex alia certa lumine naturali, videtur etiam ab hęreticis negari, qui dicunt, volumus solam Scripturam; Sed ex dictis patet, quam sit absurda: Catholici omnes illam affirmant. De hoc distinct. seq.

Est maxime necessaria in regno Christi, vt de illo

habeatur completa cognitio, quia de illo plurima lumine naturali probanda sunt.

Ioannes. Nunc videte, si quid aliud à me de probationibus desideretis.

CAP. XVI.

De quibusdam certis consequentijs.

Laurettus. VT mihi videtur, aliquid de consequentijs dicendum esset; Pertinent enim ad probationem; & aliquando hæretici illas negant.

Ioannes. Dicam, & explicabo nomen, diffinitionem, quatuor causas, & species illarum; sed breuiter hoc faciam.

1. post. c. 1. Consequentia significat ab alio, vel cum alio sequentia.

Ibidem. Sic potest diffiniri: Est deductio vnius cognitionis ex alia præexistenti.

Arg. ibidē, & 1. priorum. c. 1. Finis illius est cognitio de nouo obtinenda: Materia est cognitio, quæ de nouo effici debet: Forma est illa deductio vnius cognitionis ex alia: Efficiens est ratio, & lumen naturale à Deo illi datum: Homo enim à Deo, & à natura habet, quod sit rationalis, idest aptus natus sit, per consequentiam, transire à re nota ad rem ignotam: ideo qui negant in homine hanc naturam, negant illum esse hominem; negant rationem, sensum, scientiam, discursum; & hæc negatio absurdissima est; vt authoritate, ratione, & experientia probari potest.

n.2. *De Syllogismo, Enthimemate, Inductione, Exemplo.*

ARistoteles ait, Consequentia quatuor modis fit: Primò, per Syllogismum; Secundò, per Enthimema; Tertiò, per Inductionem; Quartò, per Exemplum: Quid autem hæc sint modo non est explicandum. 1. Post. c. 1.

n.3. *Explicantur differentiæ circa consequentias.*

COnsequentiæ aliæ sunt certæ, seu scientificæ, & Posterioristicæ: Aliæ sunt probabiles, seu Topicæ: Aliæ sunt deceptiuæ, seu Sophisticæ: Et de illis Aristoteles in Logica diffusã tractationẽ habet. Lib post. Topic. Elench.

n.4. *Explicantur quinque loca, ex quibus consequentia accipi potest.*

LOgica videtur assignare quinque loca, ex quibus consequentia desumatur: Et primus est ab Identitate: Secundus, ab Æquipollentia; Tertius à Subalternatione; Quartus, à necessaria Connexione; Quintus, ab oppositione, & disiunctione; Et de singulis aliquid dici potest. Ex libro Periherm.

n.5. *De consequentia ab identitate.*

QVando duæ propositiones, vel plures habent omnino eadem verba, vel diuersa, sed idẽ omnino significantia; tunc, si quis de vna illarum cognoscat, quod vera sit; ex hac cognitione habita, per consequentiã deducet aliã cognitionẽ, quæ est, quod etiam alia propositio vera erit: Exempla sint: Titulus Crucis erat scriptus, Hæbraice, Græce, & Latine; & in qualibet lingua idem significabat: Ex Periherm. & ex Metaph

Ita

Ita istæ propositiones; Christus expirauit; Emisit spiritum; Mortuus est; habent quidem diuersa verba, sed idem significantia; ideo ex cognita veritate vnius, per consequentiam deducitur cognitio non habita de veritate alterius; Ratio est, quia impossibile est, idem simul esse, & non esse; sed de eodem necesse est affirmare, vel negare.

n.6. *De consequentia ab æquipollentia.*

Ibidem. ÆQuipollentia est, cum duæ propositiones non habent eadem verba; nec eodem modo idẽ significant; Sed tamen in illis, cum diuersitate verborum, & rei significatæ, simul stat, tantum, & idem aliquo modo significare ab vnã, sicut aliã: Exẽpla sint: Istæ propositiones sunt æquipollentes; Abraam genuit Isaac; Est pater Isaac; Isaac genitus est ab Abraam; Est filius Abrahæ: Regula est: Qui cognoscit veritatem vnius propositionis æquipollentis; per consequentiam obtinere poterit etiam cognitionem alterius similiter æquipollentis: Supponatur enim, quod esse Deum, & habere diuinam essentiam sint propositiones æquipollentes, & quod mihi per scripturam notum sit, Christum esse Deũ; omnino mihi licebit facere hanc consequentiam: ergo Christus habet essentiam, & naturam diuinã; Implicat enim contradictionem, illum esse Deum, qui naturam diuinam non habet; ita esse hominem, & non habere essentiam illius: idem in alijs.

n.7. *De consequentia à subalternatione.*

Ex Periherm. De prędicamentis.c.3 SVbalternatio est quædam subordinatio: Veluti indiuiduum subordinatur speciei, & hæc generi: Regula consequentię est talis: Quidquid conuenit per se generi, per se conuenit speciei, & indi-

indiuiduo: Veluti sentire per se inest animali; per se etiam inerit homini, & Sorti: Secunda regula; Quidquid per se conuenit vni indiuiduo, per se conuenit omnibus indiuiduis illius speciei, & etiam toti speciei; non tamen semper conuenit generi: Veluti. Sortes est rationalis, seu habet per se intellectum, ergo omnes, & singuli homines habent intellectũ: Tertia regula est: Quæ non per se, sed per accidens conueniunt generi, aut speciei, aut indiuiduo; non est necesse, quod per se conueniant alijs; Veluti Animal per accidens est genus; Homo per accidens est species; Sortes per accidens est pauper, & infirmus; ideo non fit consequentia ab vno ad alium sic; Animal est genus, ergo homo, & sortes erunt genus: Vel sic; Sortes est pauper, claudus; ergo omnis homo est claudus.

n.8. *De consequentia à necessaria connexione.*

Connexio idem videtur esse, quod concomitantia; Sic potest diffiniri: Est duarum, vel plurium rerum simul vnio, atq; colligatio: Hæc vnio potest esse necessaria, & non necessaria; veluti, Habere intellectum necessario est homini annexum; non ita esse sanum, vel pauperem: Regula consequentiæ est hæc. Quando duo, vel plura habent necessariam cõnexionem inter se; tunc, si ego cognoscam hanc necessariam connexionem; & sciam, quod in aliquo tertio vnum dictorum insit; fit certa, & necessaria consequentia; quod etiam alia illi connexa insint: Exemplum sit: In Christo corpus, sanguis, anima, & diuinitas, inter se habent necessariam connexioné, & concomitantiam: Si ergo per verbum Dei mihi certo constet, quod in Eucharistia vere, & realiter sit corpus Christi; fiet ex hac cognitione certa conse-

Ex Arist. de prędic. c. 10. & 12.

sequentia, quod ibi etiam adsit, sanguis, anima, diuinitas. Idem in alijs,

n. 9. *De consequentia à disiunctione, & oppositione.*

Ex Arist. Ibidem. & lib. 1. Periherm.

QVando aliqua duo, vel plura ita sunt inter se disiuncta, & separata, vt impossibile sit, posse simul vniri; tunc si mihi certo constet, vnum dictorum alicui tertio inesse, vel non inesse, per consequentiam fit certa cognitio, quod aliud insit, vel non insit: Idem est de propositionibus; Si duæ propositiones ita sint oppositæ inter se, vt ambę non possint esse simul veræ, vel falsæ, veluti contradictoriæ, & contrariæ in materia necessaria; tũc ex veritate, vel falsitate vnius certo cognita, fit certa consequentia de veritate, & falsitate alterius: Quod si certo constet, quod vna sit vera de fide; fiet certa consequentia, quod alia sit contra fidem, & hæretica: Exempla sint: Est certum de fide, quod sine fide, & Baptismo non est salus: Si ergo mihi constet, quod hic infans sine baptismo mortuus est: Et quod hic Turca non habet fidem; fiet certa consequentia, quod salui non sint: Ita si mihi constet, hanc propositionem, septem sunt Sacramenta, esse certam de fide; per consequentiam fiet certa de fide cognitio; quod opposita negatio contraria fidei, & hæretica sit: Idem in alijs erit.

n. 10. *De diuisione scientiæ in partem principiorum, & conclusionum.*

Arist. 1. poster. cap. 1. & seq.

OMnis scientia diuiditur in partem principiorum, & conclusionum: Principia dicuntur illæ propositiones, quæ absque vlla consequentia innote,

notescunt; seu quæ non fiunt ex præexistenti cognitione: Conclusiones dicuntur illæ; quæ per consequentiam ex præexistenti fiunt cognitione.

Principia sunt in duplici differentia: Quædam enim sunt causa tantum cognitionis; veluti, Omne totum est maius sua parte, est causa, quod ego cognoscam, manum meam esse maiorem suo digito: Quædam sunt causa, tum cognitionis, tum existentiæ, veluti, Anima rationalis est causa, quod Sortes sit homo, & cognoscatur, quod talis sit. Ita Confessio fidei est causa, vt aliquis sit, & cognoscatur fidelis. Arist. 1. poster. cap. 1. & seq.

In Regno Christi dantur hæc principia tum cognitionis, tum existentiæ; & ab illis plurimæ deducuntur conclusiones: Verbum enim Dei, & Doctrina à Deo reuelata tradunt cognitiones generales de omnibus, quæ ad regnum Christi spectant; veluti de Baptismo, Fide, Ecclesia, Euangelio, & alijs, ex quib9 postea deducuntur conclusiones particulares; Veluti Deus reuelat, quod aqua naturalis est legitima materia Baptismi; ex quo per consequentiã, deducitur tanquam ex principio, quod aqua artificialis non est legitima materia Baptismi; talis autem erit aqua maris, fontis, putei, & similium. Idem in alijs erit. Arg. ex Arist. locis citatis. Ex 1. post. cap. 1.

n. 11. *Explicantur quatuor loca principalia, à quibus consequentiæ, & conclusiones sunt deriuatæ.*

QVatuor sunt loca principalia, à quibus, tanquã à fontibus, consequentiæ, & conclusiones sunt deriuatæ: Et primus est omne dictum, & factum Dei, & Christi: Secundus, Omne dictum, & factum Ecclesiæ, & hominum sapientum; Tertius, Euidẽtia intellectus, seu principia lumine naturali per se nota: Quartus, Euidentia sensus; per quem Ex Scriptura, ex Aristotele ab experiẽtia.

homo

homo suam accipit practicam cognitionem.

Ibidem. De dicto Dei fit certissima consequentia, quod sit verum, & quod certa fide illi credendum est; Et quod res ab illo significata sit veritas reuelata; à qua, tanquam à principio per se noto, plurimæ conclusiones, per consequentiam, modo iam dicto, deduci possunt: Veluti: Deus hoc docuit; hoc pręcepit, vel prohibuit; ergo ita faciendum est: Idem est de facto; Veluti, Christus iuit ad nuptias; ergo non sunt malæ, neque prohibitæ.

Sacra Scriptura. Ex dicto, & facto Ecclesiæ plurimæ fiunt consequentiæ: Veluti, Ecclesia ita docet; hoc præcipit; hoc prohibet; ita facit; ergo fideles ita facere debent; quia Spiritus sanctus docet illam omnem veritatem.

Logica. philosophia. Idem est de principijs intellectui per se notis; Veluti, Ex terminis per se notum est illi, Quod illa aqua est naturalis, quæ non ab arte, sed à natura facta est: Hinc fiunt practicæ consequentiæ; Quod aqua rosacea non est naturalis; aqua putei talis est; ideo materia baptismi, non est illa, sed ista.

Experientia. Idem est de euidentia sensus; Ipse enim euidenter cognoscit, quod aqua maris non est facta ab arte, sed à natura; è contra aqua rosacea; ex quo fiunt consequentiæ: Ita sensus videt; Hunc textum Biblicum esse approbatum ab Ecclesia; Et hæc verba in illo contineri; Et Ecclesiam ita ministrare Sacramenta, & tot; Vnde fiunt consequentiæ, tot esse, & ita debere ministrari: Ita cognoscit, hoc esse furtum, ideo peccatum, & à Deo prohibitum.

Ex dictis apparet, quam vanum, & ridiculum sit negare consequentias; Et habetur modus redarguendi eos, qui illas negant. Et idem per Scripturam probatur, quæ sæpissimè vtitur illis.

Ioannes. Nunc si de probationibus aliud desideretis proponite.

Clau-

Claudius. Gratum erit, si de probatione mixta ex lumine naturali, & supernaturali distinctam habeas tractationem, & probationem.

Ioannes. Habebo, sed hæc tractatio propriam requirit Distinctionem, vos proponite, quod desideratis.

DIST.

DIST. II.

DE PROBATIONE MIXTA

EX LVMINE NATVRALI, & supernaturali, in qua probatur

Quod ex vna præmissa certa de fide, & ex alia certa lumine naturali, sequatur conclusio, quæ certa de fide sit.

CAP I.

Dubitationes circa probationem mixtam ex lumine supernaturali, et naturali.

CLAVDIVS, Tu dixisti, Ex vna præmissa certa de fide, & ex alia certa lumine naturali fieri certam probationem: Sed non intellexi, an hæc probatio sit certa de fide; idest, an probet, quod conclusio ex tali probatione deducta certa de fide sit, ita vt, qui illam conclusionē negat, hæreticus sit dicendus: Gratum facies, si hoc

hoc

hoc declares, & probes. Multi enim hæretici hoc negant, & hæc negatiua ſic videtur probari.

Primo quia ex ſola Dei reuelatione, non ex lumine naturali, certitudo ſidei haberi poteſt.

Secundo, quia concluſio ſemper ſequitur debiliorem partem, ſeu præmiſſam, quæ eſt naturalis.

Lauretus. Ego quoque circa idem aliam proponam dubitationem, & eſt: Vtrum ſi per euidentiam luminis naturalis, ex Verbo Dei, vel ab illius ſignificatione, aut à re ſignificata, aut ex dicto Eccleſię aliquid de fide determinante, certiſſima deducatur aliqua Concluſio; Vtrum inquam talis concluſio certa de fide dicenda ſit: Veluti ex hoc loco Scripturæ, Abraam genuit Iſaac, per lumen naturale videntur fieri tales conſequentiæ, & deductiones; Ergo Iſaac eſt genitus ab Abram: ergo eſt filius illius: ergo Abram eſt pater eius: ergo Hæres illius erit: Et probatio ita fit: Qui genuit alium, pater illius eſt: Eſt certa lumine naturali; Abraam genuit Iſaac, eſt certa ex verbo Dei: Concluſio erit; ergo Abraam Iſaac pater eſt: Idem in alijs; & affirmatio videtur probari ducendo ad impoſſibile ſic.

Per lumen naturale apertiſſime conſtat, quod hęc duo, Generare aliquem, & eſſe patrem illius; talem, & tantam inter ſe habent connexionem; vt impoſſibile ſit vnum eſſe ſine alio, & credere vnum ſine alio; ergo neceſſe eſt vel vtrumque affirmare, vel vtrunque negare; Sed omnes tenentur cum certitudine fidei credere verbo Dei dicenti, Abraam genuit Iſaac; ergo tenentur cum eadem certitudine credere, quod Abraam pater ſit Iſaac: Si enim non credat hoc, omnino neque credet, quod dixit Deus, Abram genuiſſe Iſaac.

Ioannes. Rem maxime ſcitu dignam, & valde neceſſariam, ſed explicatu difficillimam poſtulaſtis; Sed ſpero, Deo dante, quod illam no-

bis admodum clare explicabo, atque probabo.

CAP. II.

Distinguitur de certitudine fidei, et naturali

Dist. 1. ca. 2. & 3. IOãnes. Ex iã dictis apparet, quod aliud est veritas, aliud cognitio veritatis; Veritas sic diffinitur: Est ratio manifestatiua ei', quod est. Cognitio sic potest diffiniri: Est manifestatio facta in intellectu, vel sẽsu cũ aduertẽtia illorũ: Hæc cognitio alia est vera, alia falsa: Vera est illa, quæ cognoscit esse, quod est; & nõ esse, quod non est: Falsa est illa, quæ cognoscit nõ esse quod est, & esse, qđ nõ est; Hæc vera cognitio alia est certa, alia nõ est certa: Certa est illa, quę claro lumine cognoscit ita esse ĩ re, sicut cognitũ est, & rẽ nõ posse aliter se habere, quã cognitũ sit: Nõ certa est illa, q̃ Dist. 1. c. 4. & 5. obscuro lumine, & dubitatiue cognoscit, quod ita sit ĩ re, sicut cognitũ est. Certa cognitio triplex est, prima Cate. ar. 1. num. 6. dicitur naturalis, quæ fit lumine naturali; Alia supernaturalis, quę fit à lumine supernaturali. Tertia põt dici mixta, quę ab vtroq; lumine facta est: Prima dicitur naturalis; Secunda Fidei; Tertia partim naturalis, partim fidei dicta est; Hæc autẽ denominatio fit à causa certitudinis: Sicut .n. ille effect' dicitur naturalis, q̃ est à causa naturali; ille artificialis, vel supernaturalis, qui tales causas habet; ita certitudo iuxta causam, quam habet, denominata est.

Certitudo ergo naturalis erit illa, quæ à solo lumine naturali deducta est.

Certitudo fidei erit illa, quæ à solo lumine fidei deriuatur.

Certitudo mixta erit illa, quæ ab vtroque lumine factaest.

CAP.

CAP. III.

De duplici certitudine naturali.

ARistoteles, Ratio, & experiẽtia docẽt, quod certitudo naturalis duplex est: Vna est prima, quę aliam priorem cognitionem, & certitudinem non supponit; & talis cognitio per se, & primo, & absolute dicitur esse certa; & appellatur cognitio, & certitudo principiorum: Alia dicitur cognitio, & certitudo secunda, seu posterior, quia semper aliam priorem cognitionem, & certitudinem supponit, a qua etiam, tanquam à propria causa, deducta, atque deriuata est: Et hæc solet appellari cognitio, & certitudo conclusionum; quia omnis conclusio, per consequentiam, semper à priori cognitione est deriuata. 1. post. c. 1. & seq.

Plato, & Aristoteles vario modo assignant causam cognitionis, & certitudinis cõclusionũ: Plato .n., ait. Causa est quædã reminiscẽtia; Aristoteles ait, Principia bene cognita, & applicata per se, & proprie sunt causa conclusionum. Vt autem causa sint, semper necessaria est argumentatio, seu probatio, & legitima consequentia; & qualis est consequentia, talis etiam erit cognitio conclusionis: Si enim consequẽtia sit necessaria, talis erit cognitio conclusionis: Secus si sit topica, vel Sophistica. 1. post. c. 1. Li. 1. Priorum.

Omnis ergo certa cognitio naturalis, alia est absoluta, & dicitur principiorum; alia est per necessariam consequentiam; & dicitur conclusionum: Et hic modus cognoscendi homini est naturalis: Et conclusiones virtualiter in principijs contentæ sunt. 1. post. c. 1.

Aristoteles ait: Principia alia sunt tantũ cogno- 1. post. c. 8.

scendi, alia tum essendi, tum cognoscendi; Veluti, Hoc principium, Omne totum est maius sua parte, est causa cognoscendi, quod manus mea est maior vno dignito ipsius: Anima vero equi erit causa, tum cognitionis, tum existentiæ de vita equi.

1. Post. & 2 Ait, Omnis conclusio habet subiectum, & predicatũ, & diffinitio vtriusque est verum principium ad illius probationem efficiendam; Precognitio subiecti, & prædicati deseruit ad conclusionem probandam.

CAP. IV.

De duplici certitudine fidei.

Ex Arist. ibid. COgnitio, & certitudo fidei duplex est, sicut, & naturalis; & vna est prima, à nulla priori deriuata, ad modum principij; alia est posterior in priori virtualiter contenta, & ab illa per consequentiam deriuata: Exemplum primæ sit hęc propositio; Christus est homo; Secundæ, ergo habet voluntatem humanam: in Eucharistia est verum corpus Christi; ergo sanguis, & anima illius: Est filius, ergo hæres: Omnis aqua naturalis est legitima materia baptismi; ergo aqua putei talis est; Demum omnis propositio fidei ab alia priori de fide deriuata, dicitur habere certitudinem fidei, non per modum principij, sed per modum consequentiæ.

CAP. V.

Diffinitur, quid sit certitudo fidei.

CONclusio à me probanda est hæc: Conclusio deducta ex vna præmissa certa de fide, & ex alia certa lumine naturali, certa de fide erit: Vt ergo ad illam probandam vtar regula Aristotelis, necesse est diffinire, quid sit fidei certitudo: Potest ergo diffiniri.

Primo sic; Certitudo fidei est illa, quæ in lumine supernaturali fundata est: Siue hoc sit in totum, siue in parte; siue sit ad modum principij, siue sit ad modum consequentiæ, & conclusionis: Probatur: Qualis est causa, talis est effectus: Item causa alia est totalis, alia partialis; & vtraque vere causa est: Ita pater, & mater: Ita Sol, & homo generant hominem: Ita lumen naturale per se est causa certitudinis principiorum, & conclusionum. Ideo diffinitio bona. Cate. par. 1.c.1.nu.1. & art.1. n. 6.

Secundo, sic potest diffiniri. Certitudo fidei est illa, quæ vel in totum, vel ex parte: vel per modum principij, vel per modum consequentiæ, & conclusionis in diuina reuelatione, vt in sua causa, firmata, atque fundata est. Et est eadem cum præcedēti, & sicut illa probata est. Cate. ibid.

CAP. VI.

De duplici reuelatione Dei explicita, & implicita.

AVthoritate, Ratione, & experientia probatur, quod reuelatio Dei duplex est; Vna Ex dictis, & dicēdis.

explicita, seu expressa, seu prima, seu ad modũ principij; alia implicita, seu virtualis, seu posterior, seu per modũ cõcomitãtiæ, & consequẽtiæ facta; & probatur per ea, quæ modo dicta sunt.

Idem. Explicita erit illa, in qua Deus, per verbum suum, aliquam veritatem clare, & aperte reuelat: Implicita erit omnis illa, quæ à veritate expresse reuelata, quocunque modo per consequentiam deducta, & deriuata est: Consequentia enim proprie significat, quod vna cognitio ex alia cognitione sequatur: Ideo si per consequentiã ab vna veritate reuelata, alia veritas cum certitudine deriuatur; illa prior, huius posterioris causa erit; & hæc posterior in reuelatione Dei fundata erit, & ab illa est certitudo illius; ideo fidei certitudo erit: Veluti, si fit reuelatio de Christo, quod sit Deus, virtualiter, & ex consequenti fit reuelatio, quod omnia, quæ Deo per se conueniunt, etiam illi conuenient.

CAP. VII.

De regula ad cognoscendam implicitam reuelationem.

Dist. præced. cap. 16. REgula potest tradi hæc; Omnes cognitiones, quæ ab aliqua veritate explicite reuelata per legitimam consequentiã, etiã in lumine naturali fundatã, cũ certitudine deduci possunt, vere dici possunt implicite reuelatæ, quia in veritate explicita virtualiter continentúr.

Ibidem. Hoc loco, ad explicandam implicitam reuelationem, expedit, non dico repetere, sed applicare huic materiæ, ea, quæ de consequentijs in distinctione præcedenti dicta fuere.

Ibidem. Omnes autẽ cõsequentiæ ad quinq; capita reduci posse

posse videntur, quæ sunt: primum Identitas; secundum Æquipollentia; tertium Subalternatio: quartum Necessaria connexio, seu Concomitantia: quintum Necessaria disiunctio, seu oppositio, Et singula capita in presenti materia exemplis explicabuntur.

Exemplum de identitate: Esse Deum, & habere diuinam essentiam, atque naturam, idem omnino sunt: Si ergo Deus explicite reuelat, quod Christus sit Deus, omnino implicite reuelabit, habere diuinā essentiam, atque naturam; & qui credit vnum, debet credere aliud; & vtraque veritas dicetur reuelata, & certitudinem fidei obtinebit. Ibidem.

Exemplum Æquipollentiæ: Istæ propositiones: Abraam genuit Isaac, Est pater Isaac; Isaac ab illo genitus est; Filius illius est; Ita æquipollent inter se, vt, si vna sit vera, aliæ quoque veræ sint: Si ergo Deus reuelet vnam ex dictis explicite; dicetur alias implicite reuelasse, & per illam explicitam, veritas aliorū cum certitudine fidei probata erit. Ibidem.

Exemplum subalternationis: Deus explicite reuelat: Quod omnis aqua naturalis legitima sit materia Baptismi: Vtique implicite dicetur reuelasse, quod aqua maris, laci, putei, fontis, fluuij, talis materia erit quia omnes sunt naturales. Ibidem.

Exemplum connexionis: Corpus Christi necessariam habet connexionem, & concomitantiam cum sanguine, anima, & diuinitate: Christus expresse reuelat, in Eucharistia sub specie panis esse corpus suum; ergo implicite reuelabit, ibi alia esse, quia impossibile est, corpus Christi esse sine illis. Ibidem.

Exemplum disiunctionis: Aqua naturalis necessariā habet disiunctionē ab aqua artificiali, & implicat contradictionem, vnam esse aliam: Deus explicite reuelat, quod aqua naturalis est materia Baptismi; ergo implicite reuelat, quod aqua artificia- Ibidem.

lis talis materia non est: Hoc modo fit implicata reuelatio.

CAP. VIII.

De necessitate coniungendi lumen naturale cum supernaturali in regno Christi.

GRatia non destruit, sed perficit naturam: Et lumen fidei non tollit, sed auget lumen naturale: Et in regno Christi entia naturalia cum supernaturalibus, vt plurimum, permixta sunt: Naturalia autem lumine naturali, supernaturalia supernaturali cognita sunt: Hinc fit, quod Deus non tradit doctrinam reuelatam de ente naturali; ordinarie loquendo, vt doceat illud; quia iam supponit per lumen naturale fuisse manifestatum; tradit autem reuelationem de ente supernaturali, quod lumine fidei cognosci debet: Et S. Paulus ait: Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: Hinc fit, quod in Regno Christi plurimæ fiunt propositiones, et cõclusiones, quorũ subiectũ est ens naturale, et p̃dicatũ supernaturale, vel è cõtra, veluti, Materia Baptismi est aqua naturalis; vel hæc: Aqua naturalis est materia Baptismi; Ita hæc: Petrus fuit Apostolus, & aliæ: Et hoc modo Deus de singulis Sacramentis reuelauit, quænam sit materia, & forma illorum; & præcepit, quod homines illa suscipe rent, & administrarent, cum materia, & forma, & modo ab ipsomet Deo ordinato, & reuelato: Hinc orta est necessitas, quod suscipientes, & administrantes necessario debeant scire, non tantum in genere, sed etiam in specie, & in indiuiduo, an hæc, vel illa materia Baptismi legitima sit; idem de

Cate. in præf. n. 1. & 21. l. n. 6

de forma, & vsu; Deus autem facit reuelationem generalem; Vsus autem semper est de re particulari; quæ ordinarie per sensum cognita est: Et est necessarium, quod homines habeant certitudinem fidei de vero Baptismo, & de materia, & forma illius in particulari considerata; & hæc certitudo fit per probationem mixtam ex lumine fidei, & naturali; Ideo hæc probatio in regno Christi necessaria est, & fidei certitudinem habet, ratione iam dicta; Exépla sint.

Deus reuelauit de Baptismo, quod illius materia est aqua naturalis: ex hac fidei veritate, cum certitudine fidei probabo, quod aqua rosacea, & aliæ aquæ artificiales non sunt legitima materia; quia Deus non de illis, sed tantum de aqua naturali reuelauit; De hac vero putei aqua probabo, quod sit materia, quia naturalis, & reuelatio facta est de illa. Et probatio ita fit; Aqua naturalis est materia Baptismi. Hæc putei aqua est naturalis, ergo: Maior a reuelatione, minor a sensu certa fit: Conclusio est certa, & illius certitudo omnino, non ab vna tantum præmissa, sed ab vtraque facta est; Sed vna ex dictis est certa lumine fidei; ergo etiam ipsa est causa certitudinis conclusionis; ergo certitudo conclusiones aliquo modo est fidei certitudo; ita pater, & mater causa filij sunt. Et sol, atque homo dicuntur hominem generare: Idem est in plurimis alijs; ergo in probatione mixta lumen fidei, & naturale simul vniuntur ad conclusionem certam etiam lumine fidei efficiendam: Et quod dictum est de Baptismo idem de plurimis alijs dicendum est. Ex Dist. 1. cap. 16.

Conclusio ergo erit. Illa conclusio, quæ vel in totum, vel ex parte, vel per modum principij, & explicite, vel per modum consequentiæ, & virtualiter, accipit à lumine fidei, & a diuina reuelatione certitudinem suam, omninò conclusio certa de fide

di-

dicenda est, ita vt, qui neget illam, hæreticus sit dicendus.

CAP. IX.

Probatur proposita conclusio.

His ita suppositis, nunc probabo tum authoritate, tum ratione, quod conclusio deducta ex aliqua veritate expresse reuelata, ita vt vna præmissa sit certa de fide, alia lumine naturali, habeat fidei certitudinem.

Scriptura. Prima probatio est ex Scriptura: S. Paulus enim vtitur tali probatione sic: *Si est filius; ergo hæres: Si dedit filium; ergo multo magis alia donabit.*

S. Athan. Secunda est ab authoritate Conciliorum Generalium. *Sæpe* enim huiusmodi cõclusiones deductas determinant, vt certas de fide, declarando hæreticos, qui illas negant: & affero aliqua exempla: Primum exemplum; Scriptura expresse reuelat, quod Christus sit homo; ergo virtualiter reuelat, habere illa omnia, quæ homini per se conueniunt; veluti animam, corpus, intellectum, & voluntatem humanam; vnde probatio ita fit: Omnis homo habet animam, corpus, & voluntatem, cum alijs; Christus est verus homo; ergo habet dicta: & maior est certa lumine naturæ; minor lumine fidei: Ideo Concilia determinant hæreticos, qui in Christo negant voluntatem humanam. Secundum Exemplum est Concil. Tridentini. Cum enim Christus expresse dixerit; Hoc est corpus meum; arguit Concilium, esse certum de fide; quod ibi sit sanguis, anima, & diuinitas; quia ista necessariam habent concomitantiam, & connexionem, vt intellectui euidēs est,

est, cum corpore Christi: Tertium est eiusdem Concilij declarantis illum hæreticum, qui dicit, Ecclesiam errasse in determinandis ritibus Sacramentorum, & impedimentis matrimonij: quia hæc conclusio est legitime deducta ex veritate à Deo expresse reuelata, quod Ecclesia non erret. Idem est in alijs multis.

Tertia est ab authoritate doctorum; S. Thomas 1. p.q.32.art.4. Et 2.2.q.8.art.2. Et q.11.art.2. Cano.6. de locis Theol. cap. vltimo. Sanchez lib.2, cap.7. n. 33. Valentia 2.2. disp.1.q.11, puncto 1. difficultate 3.

Corduba in quæst.lib.1.q.17.§.7. dubio.3. notab. 3. Gab. in 2.dist.23.q.2.

Aragon. 22.q 11.art.2. col.3. vers. His tamen non obstantibus.

Albertinus in Corrolarijs Theologicis tom.1. varijs in locis.

Vega in Conc.lib.9. cap.39. Cater.assert.6. de certitudine fidei.

Dicunt enim illum esse hæreticum, qui negat propositionem tali modo deductam.

Quarta ex philosophis: Arist.n. ait, quod ex vna præmissa necessaria, & ex alia cõtingenti certa cõclusio fieri potest sic: Omnis currẽs mouetur; Petrus currit; ergo mouetur: Ratio est, quia cursus Petri est veluti pars cursus in genere cõsiderati: Ideo, qui negat cursum Petri esse cum motu, necessario etiam maiorem negabit: Et qui affirmat omnem cursum esse cum motu, necessario etiam, saltem virtualiter, & implicite, affirmabit, quod hic, & ille cursus cum motu sit: Ita est in proposito nostro, Si Deus reuelat, omnem aquam naturalem posse esse materiam Baptismi, virtualiter reuelabit, quod hæc, vel illa aqua naturalis talis sit.

Lib.1.priorum.

Arg. ex l.1. poster. c.11.

Quinta

Ex Arist. ibidem. Quinta probatio est à ratione sic: Lumine naturali est per se notum, quod, Omnis homo habet volũtatẽ humanã: & Omnis filius est eiusdem essentiæ cum patre; ergo si Deus explicite reuelat, quod Christus sit homo, & sit filius Dei; omnino implicite reuelabit, quod habeat illa omnia, siue quibus veritas expresse reuelata vera esse non potest. Aliquo .n. modo implicat contradictionẽ, quod homo sit homo verus, & quod non habeat veram essentiam hominis, & omnia alia, quæ homini per se conueniunt; ergo si Deus expresse reuelat, quod Christus sit homo; implicite reuelabit, habere omnia, quæ homini per se conueniunt; alioquin reuelatio non erit de vero homine; ergo hæc probatio, Omnis homo habet humanam voluntatem; Christus est homo; ergo: in reuelatione Dei fundata erit: Ideo conclusio erit certa de fide.

Lib. 1. prio rum. Sexta, Hæc ratio Aristotelis: Quando prædicatum conclusionis necessario in maiori inest medio, & subiectum conclusionis est pars medij; tunc prædicatum necessario inerit subiecto in conclusione: Exemplum: Omnis currens necessario mouetur: Petrus currit; ergo. Ita omnis aqua naturalis potest esse materia baptismi; Hæc aqua est naturalis; ergo. Quod enim Deus reuelat de omni aqua explicite, omnino implicite reuelat de hac, & illa parte; Si enim reuelatio omittit vnam partem, non erit de tota aqua, & tamen supponitur, quod sit de tota.

Ar. in lib. priorum, post. topi corum. Septima, Ad efficiendam certitudinem conclusionis necessario vtraque præmissa concurrere debet simili ratione, qua pater, & mater ad filium generandum concurrunt: Signum demonstratiuum est, quod ex vna sola præmissa certa non sequitur certitudo conclusionis: ergo completa causa certitudinis conclusionis in vtraque præmissa est collocata:

ta: ergo si vna præmissa est certa de fide, necessario pro sua parte est causa, vt conclusio certa sit; ergo certitudo fidei in illa erit.

Octaua, Quando dictum Dei est medium ad aliquam conclusionem probandam; tunc dictum Dei est causa, vt cognitio conclusionis habita sit: & talis cognitio in dicto, & reuelatione Dei fundata est; ideo à lumine fidei est deriuata: Sed in allatis probationibus dictum Dei vere est medium ad probandam conclusionem; Quia ex hoc dicto Dei, Omnis aqua naturalis est legitima materia Baptismi, deducitur, quod hæc maior vniuersalis verificatur de hac, & illa aqua; ait enim, omnis aqua naturalis; ergo conclusio in dicto, & reuelatione Dei fundata est; ideo certa de fide erit; Idem in alijs est. Ar. ibidē. Id. Doctores, & Cōcilia.

Nona, Quidquid est reuelatum à Deo, siue explicite, siue implicite, illud vere, & proprie est obiectum fidei; quia reuelatio est causa propria, vt aliquid de fide credatur; Ita alba per albedinem disgregant visum, & colorata per colorem pertinent ad oculum, & ad visum: Sed, quando Deus de Christo reuelat explicite, quod sit homo; omnino implicite reuelat, quod in Christo sunt illa omnia, quæ ad veram pertinent humanitatem; alioquin dictum Dei non esset verum; & Christus non esset verus homo: ergo hæc probatio; si Christus est homo, habet voluntatem humanam in reuelatione Dei fundata est, & conclusio est certa de fide. Ibidem.

Decima, Qui dicit hominem, necessario dicit illa omnia, quæ homini in aliquo modo per se conueniunt; nempe materiam, formam, passiones, potentias, operationes; quia illa necessario illi conueniunt; & sine illis esse non potest homo; Cum ergo Deus dicit, Christus est homo: omnino dicit, habere omnia, quæ dicta sunt; ergo si ex illo dicto Dei probo, Christum habere animam rationalem, & Ar. l. 1. post. c. 4. & seq. Cōc. Trid. sess. 13. ca. 1.

cor-

corpus humanum, & voluntatem humanam, & alia; probatio in dicto Dei fundata erit. Ita si Christus reuelat; Hoc est corpus meum; ergo etiam reuelat cum illo esse omnia, quæ per se corpori suo viuo conueniunt, sanguis, anima, diuinitas; idem in alijs erit.

Ratio, sēs, authoritas Ar. 1. post. c. 1. & alibi

11. Homo per se, & essentialiter est rationalis; & proprium illius est, ex noto transire ad ignotum, & Scriptura docet ita esse, & qui negat hoc, totam confundit naturam humanam; quis ergo audebit negare, quod ex aliqua veritate per reuelationem cognita, non liceat arguere ad aliam veritatem ab illa deriuatam cognoscendam?

Ar. ibi.

12. Si, in naturalibus, ex vna veritate naturaliter cognita, licet deducere aliam veritatem ignotam, vt ex fumo presentia ignis; Cur non licebit ex veritate à Deo reuelata, & nota, deducere aliã, quæ ignota sit?

Logica naturalis ex Ar. ibid.

13. *Sicut* ex principijs per se notis lumine naturali, cum certitudine possunt deduci certæ conclusiones; quare ex veritatibus à Deo reuelatis, quæ sunt veluti principia per se nota, non licebit alias deducere veritates, quæ nobis ignotæ sint; vel non sint à Deo explicite reuelatæ?

Cate. art. 1

14. Si quis ex illo verbo primi articuli; Patrem omnipotentem, probet Deum posse creare alium mundum, quis illud audebit negare.

Doctores supracitati

15. Si quis dicat, se non credere, quod in Christo sit voluntas humana, cogetur, per necessariam consequentiam, dicere, se non credere, quod verus homo sit; & hæc consequentia fit lumine naturali: ergo. Si dicat per fidem se credere Christum esse verum hominem, debet etiam dicere, per fidem se credere habere voluntatem humanam.

16. Si

16. Si quis dicat; Isaac non est filius Abrahæ, necessario negat, quod Abraam genuerit illum: ergo qui per fidem credit, esse genitum ab Abraham, necessitate fidei cogitur credere, quod filius eius sit. Ibid. ex regula de æquipollẽtia

17. Si Christus dixit Petro: Pasce oues meas; quare ex illo verbo non debuit Petrus colligere, omnes illas operationes debere à se exerceri, quæ ad pascendum gregem necessariæ sunt? Idem.

18. *Si ex vna veritate a Deo expresse reuelata nõ licet deducere aliam veritatem non expresse reuelatam*; quare ergo hæretici ex illo loco Scripturæ, Vnus est mediator Dei, & hominum Christus, volunt cũ certitudine fidei deduci, quod in regno Christi nõ detur Sũmus Pontifex, Episcopi, Sacerdotes, & visibiles magistratus, qui in Ecclesia Catholica Romana manifestissimè conspiciuntur? Et vt cognoscatur quanta sit vis huius argumenti, quod ad hominẽ est, illud breuiter explicabo. Arg. ad hominem.

Reuelatio Dei duplex est; explicita, quæ expresse aliquid reuelat, & implicita, cum in veritate explicite reuelata aliqua alia veritas virtualiter continetur; veluti Christus est homo; ergo voluntatem habet humanam. Arg. ex Ar. 1. post. c. 1. & seq.

Vtique veritas explicita aliquo modo, vt sic dicã, magis certa, quam implicita esse videtur; quia per explicitam implicita certa fieri videtur. Ar. 1. post. cap. 2.

Hæc igitur veritas; Vnus est mediator Christus; est à Deo explicite reuelata: Modo hæretici dicunt; In hac veritate explicita virtualiter continentur istæ aliæ: In Regno Christi non sunt Magistratus, non Sacerdotes, non Summus Pontifex: Et has dicunt ex illa cum certitudine fidei deduci: Quia contra fidem esse dicunt credere dicta: ergo in hoc casu (Et idem est in alijs multis) apertissime affirmant, quod ex vna veritate explicite Ad hominem.

reue-

reuelata possunt cum certitudine fidei aliȩ deduci, quæ non expresse, sed implicite reuelatæ sunt.

Ad hominem.

Modo videamus hæreticorum insipientiam: In hoc casu dicto, volunt, quod veritas deducta ex veritate explicite reuelata; habeat maiorem certitudinem fidei, quam habeat alia veritas explicite reuelata: Hæc enim veritas; In regno Christi dantur Summus Pontifex, Episcopi, Sacerdotes, Magistratus, est à Deo expresse reuelata, quia Scriptura expresse loquitur de illis: Hæc autem, vt ipsi dicunt, veritas, Non dantur dicti magistratus in regno Dei, est deducta ex illa priori; vnus est mediator; in qua virtualiter, dicunt, continetur: Si ergo hæretici volunt, quod illa Negatiua, non dantur in Regno Christi magistratus, quia ex alia veritate explicite reuelata deducta est, magis sit certa de fide, quam ista, Dantur Episcopi, &c. quæ est veritas expresse in Scriptura reuelata; Omnino in hoc casu affirmabunt; tantam certitudinem fidei esse posse in veritate deducta, vt posset præualere veritati etiam explicite reuelatæ. Et in hoc clare hæretici non sibi constant.

Ad hominem.

Idem est de illo loco, Vbi spiritus, ibi libertas: Ita iustus ex fide viuit: Deducunt enim, Opera non esse necessaria: Et hanc veritatem deductam volunt præualere tot locis Scripturæ, in quibus de necessitate operum reuelatio manifestissima facta est.

Experiētia Hæretici sibi contradicunt, in factis, & in dictis.

Hoc modo hæretici in fauorem suæ doctrinæ nimis tribuunt veritati deductæ; Cum vero agitur de doctrina Catholicorum, omnes fere negant deductiones, pleno ore dicentes, solam admittimus Scripturam: Si illam solā admittitis; Cur contra Catholicos ex Scriptura tot facitis consequentias? Cur ex vno loco Scripturæ tot deducitis conclusiones, & aliquas alijs locis Scripturæ clare repugnantes?

19. Quæ-

19. Quæro ab hæreticis cuiuscunque Sectæ, an habeant certitudinem fidei, quod illorum Ecclesia, & Euangelium verum sit: Si dicunt non: ergo fidei certitudinem nullam habent: Si habent: Quæro, an hanc certitudinem fundēt in aliqua veritate à Deo implicite, vel explicite reuelata. Si dicunt in nulla: ergo nulla est fides, nulla certitudo: Si dicunt: Fundare in explicita veritate: Afferant locum Scripturæ, qui expresse de sua Ecclesia præcise considerata, & de Euangelio ab illis proposito, & de certa illorum veritate loquatur: Hoc autem omnibus notum est, esse impossibile. Quod si dicant, se probaturos per deductionem ex veritatibus à Deo expresse in Scriptura reuelatis; omnino cogũtur fateri, quod ex vna veritate expresse reuelata, cum certitudine fidei aliæ veritates deduci possunt: Hoc autem est affirmare, quod modo probandum est. Euidentia

20. Quæro ab hæreticis cuiuscunque sectæ, an habeant certitudinem fidei, quod primus author suæ Sectæ fuerit à Deo illuminatus: Si dicant, Non; ergo talis Secta non habet fidei certitudinē: Si sic; quæro, in quo fundent hanc fidei certitudinem; & necesse est illis, vt dicant; Deduci ex veritatibus expresse reuelatis: ergo veram iam positam conclusionem dicunt. Ad hominem.

21. Iterum quæro ab hæreticis: An habeant certitudinem fidei, quod textus Biblicus, quo ipsi vtũtur, verus, & authenticus sit: Si dicunt, Non; ergo talis textus nihil certi probabit: Si dicunt habere. Quæritur, in quo hanc fundent suam certitudinem; Et si dicant deduci ex Scriptura; ergo fatentur hanc deductionem fidei habere certitudinem. Idem.

22. Adhuc quæro ab illis: Vtrum habeant certitudinem fidei; Quod hæc veritas sit à Deo expres- Idem.

se reuelata; Vbi spiritus, ibi libertas: Vtiq; dicent sic:
Experiẽtia Tunc quærã, in quo fundetur hæc certitudo, & dicẽt quia in textu Biblico expresse cõtinetur, vnde faciũt talẽ probationẽ: Maior, Omne expresse cõtentum in Textu Biblico est expresse à Deo reuelatũ: Sed dicta veritas est expresse contenta in Textu Biblico: ergo, hæc veritas est expresse à Deo reuelata: Maior suppo natur, quod certa de fide sit: Quæro de certitudine minoris: Vtiq; fiet certa per euidẽtiam sensus, qui apertissime dicta verba in Textu Biblico intuetur: ergo maior erit certa de fide, minor erit certa per euidentiam sensus; & tunc hęretici fatentur, quod Conclusio certa de fide est, quę ex minori per sensum nota deducta sit.

Ducit ad ĩpossibile. 23. Dictum Dei habet fidei certitudinem fũdatã in hoc, quod Deus non potest mentiri: Sed hęc cognitio, Deus non potest mentiri fundatur in euidentia luminis naturalis sic: Prima veritas non potest mentiri; Deus est prima veritas; ergo Deus non potest mentiri: Ex hac autem conclusione deducitur, quod Deo certa fide credendum sit: Fit enim talis probatio: Dicto eius, qui in dicendo non potest errare, certa fide credendum est: Sed dictum Dei est dictum eius, qui in dicendo non potest errare: ergo &c. Vbi vtraque præmissa est certa lumine naturali, & in tali probatione certitudo fidei fundata est: ergo certitudo fidei partim in lumine naturali, partim in lumine fidei fundamentum habet: ergo probatio dicta fidei certitudinem habere potest.

Per tẽsũ ex Scriptura. 24. Tempore Christi Apostoli hanc probationem faciebant: Omne dictum Christi certa fide credendum est: Sed Baptismum esse necessarium, est dictũ Christi: ergo: Vbi maior est certa lumine fidei, minor autem Apostolis erat certa per euidentiam sensus, & nihilominus conclusio erat certa de fide; ergo ex vna præmissa certa de fide, & ex alia

cer-

certa lumine naturali ſequitur cōcluſio certa de fide.

25. Si ſupponatur hanc probationem non facere certam de fide concluſionem; ſequetur omnino, eſſe impoſſibile, quod habeatur fidei certitudo de innumeris ſingularibus, quæ in regno Chriſti ſunt, veluti de hoc verbo Dei; De hoc Textu Biblico; De hac Eccleſia; De hoc Euangelio; De hac doctrina; De hoc Miniſtro, ſeu Magiſtratu; De hoc Baptiſmo; De hac fide; De hac interpretatione verbi Dei; & idem de alijs; Quia ſingularia, vt talia, per ſolum ſenſum cognoſci poſſunt; Quod autem cadit ſub ſenſu, non pertinet ad fidem: Ideo, ſi, vbi vna præmiſſa habet certitudinem in euidentia ſenſus, concluſio nō poteſt ſequi certa de fide; eueniet, quod de ſingularibus nulla fidei certitudo poterit haberi; Regnum autē Chriſti totum in rebus, & actionibus particularibus à parte rei poſitum eſt; quia omne, quod à parte rei eſt, quatenus ita eſt, vnum numero eſt; ergo certitudo fidei totaliter a regno Chriſti excluſa erit; Quod eſt totam Euangelicæ doctrinæ deſtruere certitudinē: & exemplo ita eſſe declaratur: Si enim volo probare, quod ſola Eccleſia Catholica Romana vera Eccleſia ſit, ita procedam: Illa Eccleſia, quæ habet primatum S. Petri, Epiſcopos, & Sacerdotes, &c. Sola vera Eccleſia eſt; Hæc eſt certa de fide: Sed ſola Eccleſia Romana hæc habet: Eccleſia vero Lutherana, & Caluiniſtica non habet: Et hæc minor per ſolum ſenſum certa fieri poteſt: Idem eſt in alijs, veluti, An hic Baptiſmus ſit legitime collatus, An hic Textus Biblicus ſit approbatus ab Eccleſia; ergo hæc probatio fidei certitudinem efficiet.

Ad impoſſibile.

Ratio, experientia, authoritas

CAP. X.

Soluuntur argumenta.

Cōc. Sess. 4 ca. 1. & 2.

AD primum argumentum, Conceditur, quod ex sola reuelatione habeatur fidei certitudo; Sed hanc probationem dicimus fundari in Dei reuelatione, quia necesse est, vt vna ex præmissis certa de fide sit, & talis conclusio, semper in dicto Dei fundata est.

Sensus cōmunis talis.

Ad secundum dicitur. Illa propositio, Conclusio semper sequitur debiliorem præmissam, est vera, quādo vna ex præmissis est certa, alia incerta; vna vera, alia falsa: Sed modo supponimus vtranque præmissam esse certam: Ideo, vt sic, Vna non est debilior altera: Quod si velimus in certitudine distinguere gradus: Dicamus, duplicem esse certitudinem; Vnam fidei, Aliam euidentiæ: Et vtraque dicit firmitatem in genere suo: Et sicut ex elementis fit vnum mixtum, ita non inconuenit, quod ex vtraque firmitate tum fidei, tum euidentiæ fiat quædam firmitas mixta, quæ participet de vtroq;: Vtraque. n. præmissa influit in conclusionem: Quod si adhuc gradus certitudinis sint magis distinguendi: vt fiat comparatio inter certitudinem fidei, & euidentiæ, quæ sit maior, vel minor, à lumine fidei, & euidentię responsio est accipienda: Lumen. n. fidei est maius, sed minus clarum, & magis obscurum: Lumen euidentiæ est minus, sed magis clarum, & minus obscurum; ideo diuersa ratione certitudo fidei erit fortior, sed nō clarior, quam sit certitudo euidentiæ: Habet enim maius, & nobilius lumen, sed minus clarum; è contra certitudo euidentiæ habet lumen minus nobile, sed magis clarum:

Præmissa certa nō est debilis, sed fortis.

Cate. in præf. nu. 1. & seq.

Illa

Illa ergo propositio, Conclusio sequitur debiliorem præmissam, est intelligenda quando vna est certa, alia non certa. Certa enim non potest dici debilis ideo in proposito nostro locum non habet.

PEr regnum in genere consideratum, vt per medium sensibile omnibus notum; Itẽ multis alijs modis fiunt homines certi, quod Primatus Summi Pontificis datur in Regno Christi: Secundo, Per hunc Primatum, vt per medium sẽsibile, probatur, quod sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana vera Ecclesia est: Tertio, Per hanc veram Ecclesiam, vt per medium sensibile, & certum, probatur, quodnam sit verũ Euangeliũ; verum Verbum Dei, verum Sacrificium, & Sacerdotium; Quæ veritates à Deo sint reuelatæ; Demum, quæ cognitio, & Doctrina, & fides S. Euangeli de Regno Christi vera, & certa de fide sit.

Ioannes. Hæc ad colligendam doctrinam Catholicorum dicta sint: Nunc probationes allatæ doctrinæ sunt afferendæ.

CAP. XIX.

De probationibus, quæ à Catholicis fiunt de Conclusionibus, quæ supra positæ sunt.

NVnc afferendæ sunt probationes, quæ à Catholicis fiũt de iã positis cõclusionib⁹, & dãda est Praxis ad illas cũ certitudine fidei cõprobãdas: Separatę sũt aũt probationes à conclusionibus, vt doctrina magis clara tradita esset.

DE PROBATIONIBVS, Quæ à Catholicis fiunt de sua doctrina iam explicata.

CAP. XX.

De probatione conclusionum primi, & secundi capitis.

Lib. Præd. de subst. QVod veritas sit ratio manifestatiua eius quod est, probatur ex Arist. lib. prædi.c. de subst. & ita sapientes affirmant, & omnibus notum est.

1. post. c. 2. & seq. Quod certitudo sit cognitio de re, quod non possit aliter se habere, idem Aristot. docet primo post. capit. 2. & seq. & idem omnes sapientes affirmant.

Doct. Cat. li. 1. Dist. 4. Quod fundamentum certitudinis sit quadruplex, in Doctrina Catholica multis modis probatum est, & est euidens intellectui.

1. Post. Diffinitio certæ probationis omnibus nota est: Et Arist. lib. post. diffuse illam probat.

Supra c. 2. Conclusiones de completa existentia, & cognitione, & vsu rei, probatæ sunt per authoritates in margine citatas, & quia claræ sunt, non egent alia probatione, experientia enim illas probat.

CAP.

CAP. XXI.

De probatione conclusionum tertij capitis de regno in genere considerato.

PRobantur authoritate Aristotelis, & rationibus ab illo allatis: Item authoritate Sapientum: Item ratione, experientia, & sensu; item ex Sacra scriptura. Ar. in Pol.

Nunc expedit probare, quod in omni regno bene ordinato, dantur aliqua media sensibilia, & aliquo modo publica, per quæ homines illius regni, saltem moraliter, fiunt certi de dictis, & factis quibusdam tum regis, tum aliorum. Et hæc conclusio in omni regno, etiam Christi, multis modis probanda est.

Primo ex veteri testamento. Deus dedit signum Caim; Arcum pluuium posuit signum: Abrahæ dedit Circuncisionem: Legem sensibili signo promulgauit, scripsit, dedit. Per Patriarchas, & Prophetas visibiles populum docebat: Per figuras, quæ erant futura, declarabat: Sacram Scripturam publicam, & authenticam; & sensibilem dedit dicta, & facta Dei, & hominum explicantem. Ex vet. test.

Secundo ex testamento nouo: Christus fuit visibile medium, per quod homines facti sunt certi de doctrina à Deo reuelata: Sacra Scriptura est mediũ sensibile; Apostoli fuerunt tale medium: Idem est de miraculis: Idem de prædicatione Apostolorum: Euangelium ait, Ioannes Baptista non erat lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine: Ait; Apostoli fuerunt testes à Christo ordinati: Christus dixit, in ore duorum, vel trium stat omne verbum, Traditio est medium sensibile: Ita vnanimis consen- Ex test. nouo. Conc. Tri. sess. 4. ca. 1. & 2.

sensus sanctorum Patrū; Ita testimoniū Ecclesiæ de aliqua veritate reuelata; Concilium etiam generale tale medium est: Idem in plurimis alijs.

Experiētia. Tertio, Per euidētiam intellect⁹: Omnes sapiētes ita affirmant: Regum leges, & edicta; Item Principū & Magistratuum; Ita iudicum sententiæ per publicum, & sensibile medium populis nota fiunt: Rex enim scribit, subscribit per se, per Cancellarium, apponitur Sigillus; Præco promulgat; Affigitur loco solito: Promulgatio de essentia legis est: Idem in alijs: Historiæ enim, & libri, & Scripturæ tale medium sunt.

Sensus. Quarto, Probatur per euidentiam sensus: In omni regno constituuntur iudices sensibiles; Item notarij, & Tabelliones, quæ publicæ sunt personæ, & per publicam scripturam faciunt homines certos de dictis, & factis: Idem faciunt testes fide digni: Testamenta fiunt cum magna solennitate: Homines in contractibus per medium sensibile suas declarant voluntates: Ita in Matrimonijs, Et idem alijs multis modis fit.

S. Pau. Ro. 1 Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, cognoscantur. Cum ergo in Regno Christi, neque Christus, neq; Spiritus sanctus sensibiles sint; homines autem per sensum suam obtineant cognitionem, necesse est dicere, vel quod Regnum Christi sit male ordinatum; vel quod in ipso à Christo sit ordinatum sensibile medium, per quod in cunctis sæculis homines fiunt certi de dictis, & factis ipsius, & de veritatibus à Deo reuelatis; de quibus infra dicendum: Et hoc valde notandum est.

Aliæ conclusiones tertij capitis explicant, nomen, diffinitionem, quatuor causas, proprietates, operationes, partes de regno in genere considerato, & claras habent probationes ab Arist. in libris Politicorum explicatas.

CAP.

CAP. XXII.

De praxi ad probandas conclusiones quarti capitis.

Conclusiones quarti capitis explicant de maximo Regno Dei, nomen, diffinitionẽ, diuisionem, proprietates, & partes.

Praxis ad probandum dicta talis est.

Sicut homo est compositus ex corpore visibili, & anima inuisibili; & per corpus visibile cognoscitur anima inuisibilis: Ita regnum Dei est quid mixtum ex ente naturali, & visibili; Item ex supernaturali, & inuisibili; & Sanctus Paulus ait, Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: Ideo entia visibilia sunt medium à Deo in regno suo ordinatum, per quod homines, etiam lumine naturali, fiunt certi de multis, quæ inuisibilia sunt, veluti Deum esse, & habere prouidentiam totius mundi. Rom. 1. Cate. ar. 1. num. 6.

Praxis ad omnes conclusiones dictas probandas à quatuor locis accipi potest.

1. Primus locus est Verbum Dei, seu Sacra Scriptura veteris, & noui testamenti; in qua plurima de hoc regno narrata, & explicata sunt. Vetus test.

Secundus Locus est authoritas Sapientum, veluti Aristotelis, & Platonis, & aliorũ, qui multa de Deo, & illius operibus, atque gubernatione dixerunt. Cate. ar. 1. num. 6.

Tertius locus est ab euidentia intellectus, qui lumine naturali à posteriori, & per effectus multa de Deo, & illius regno cognouit. Ibid. & in præf. n. 1. & seq.

Quartus locus est sensus, q̃ euidẽter cognoscit, mũ- Rom. 1.

dum corporeum, & ordinem, qui à Deo illi inditus est: Per hæc loca probantur conclusiones quarti capitis.

CAP. XXIII.

De praxi ad probandas conclusiones quinti capitis.

Conclusiones quinti capitis, de regno Christi explicãt nomẽ, Diffinitionem, quatuor causas, ꝓprieta tes, operationes, & partes. In hoc regno materia est sensibilis, idest Ecclesia: Forma, idest Euangelium inuisibilis; & visibile, ex S. Paulo, est medium ad inuisibile cognoscẽdũ. Ideo vera Ecclesia erit sensibile medium per quod homines fiunt certi de veritatibus Euangelici à Deo reuelatis.

Rom. 1.

Cat. ĩ pręf. n. 1. & seq. & ar. 1. n. 6

Probatio conclusionum à lumine tum naturali, tum supernaturali accipi debet. Cu.n. Regnũ Christi assentialiter sit quid mixtum ex ente naturali, & supernaturali; Veluti Christus est Deus, & Homo: S. Petrus sit homo, & Apostolus: Sacramenta habẽt materiam, & formam visibilem; Virtutem inuisibilem: Idem in alijs: Et cum visibile, & naturale cognoscatur, & probetur lumine naturali; Secus de ente supernaturali; necesse est dicere, quod completa cognitio de regno Christi ab vtroque lumine sit accipienda.

Sup. Dist. 1

Loca, ex quibus probationes accipi debẽt, sunt iã dicta: Verbum Dei; Traditio; Ecclesia; Vnanimis cõsensus Sanctorum Patrum; Euidentia intellectus, & euidentia sensus: Et praxis ita se habere potest.

Scriptura ait regnũ Christi esse regnum.

Primo per verbum Dei, & alia dicta loca proban-

bandum eſt, quod Regnum Chriſti vere, & realiter Regnum ſit, & quod vere, & realiter habeat omnia, quæ de ſubſtantia, & eſſentia veri regni ſunt: Et hoc facile eſt probare, quia Scriptura plurimis in locis apertiſſime ita eſſe dicit: Quod ſi verum eſt verbum Dei, & dicit eſſe, quod eſt, & non poteſt res aliter ſe habere; neceſſe eſt, quod in Regno Chriſti, iuxta gradum ſuum, ſint omnia illa, quæ per hoc verbum, Regnum, in genere conſideratum ſignificatum eſt: Alioquin verbum Dei nō verum, ſed falſum ſignificabit.

Secundo, Per lumen naturale, & per dicta ſapientum debent probari illa omnia, quæ de eſſentia veri regni ſunt: Et hoc Ariſtoteles in Politices fecit; & euidentia intellectus, & ſenſus confirmari debet.

Tertio, Facienda eſt probatio ex vna præmiſſa certa de fide, alia lumine naturali ſic.

Maior. Quidquid eſſentialiter regno in genere conſiderato conuenit, Illud totum, iuxta genus ſuum, conuenit regno Chriſti. Ar. in præ-di. c. 3.

Minor. Sed dicta in cap. 4. eſſentialiter conueniūt regno in genere conſiderato.

Concluſio ergo omnia dicta regno Chriſti conueniunt.

Maior habet certam probationem ex Scriptura; quæ aperte dicit, Dari regnum Chriſti, & eſſe verum regnum, ideſt habere illa omnia, qua de eſſentia veri regni ſunt; & confirmatur, quia omnia, quæ per ſe prædicantur de genere; debent etiam de ſpecie prædicari, Ideo maior certa eſt. Act. Ap. c. 1. & alibi

Minor in capitulo præcedenti probata eſt.

Cōſequētia, ex dictis diſtinctione ſecūda, certa eſt.

Quarto, Poſſunt probari ſingulæ concluſiones dicti capitis per locum qui, in margine notatus eſt. Ita Conc. generalia.

Hæc igitur concluſio. Omnia, quæ conueniunt re-

Christus, qui est Deus, hoc dixit, vel hoc fecit: Et ad hoc probandum semper duo lumina naturale, & supernaturale simul vniri debent simili ratione: Maior. Qui propria virtute facit illa opera, quæ sol⁹ Deus facere potest, omnino verus Deus est; & illi, certa fide credendum est: Minor; Sed Christus propria virtute talia opera fecit: ergo Deus est. Maior est certa lumine naturali: Minor est certa nobis per fidem: Apostolis, qui miracula videbant, per sensũ erat certitudo; sed non erat illis per sensum euidẽs, quod Christus faceret talia, vt Deus, & propria virtute; erat tamen valde probabile, quià Christus dicebat se esse Deum, & probabat per opera Dei, nec erat verisimile, quod Deus per opera à se facta probaret contra se, illum esse Deum, qui non erat Deus: Magna enim iniuria fit Deo, si quis credat, illum esse Deum, qui non est Deus: Ad probandum ergo quod Christus sit Deus; Item quod hoc dixit, vel fecit, opus est vniri simul lumen tum naturale, tum supernaturale vt dictum est.

De hoc Dist. 2.

Finis, & Complementũ certitudinis fidei in hominibus particularibus, semper terminatur ad euidentiam sensus; Cui fides, Doctrina, Testimonium Ecclesiæ notum est: Veluti sensus euidenter cognoscit; Quod hic Textus Biblicus est ab Ecclesia approbatus; & quod illa docet, septem esse Sacramenta; ideo recte fit talis probatio: Maior. Quod ab Ecclesia determinatur de fide, certa fide credendum est: Minor. Sed septem esse Sacramenta ab Ecclesia de fide determinatum est: ergo: Maior, est certa lumine supernaturali; Minor in sensu claram omnino certitudinem habet. Idem in alijs erit.

Ex Conc. Sess. 4. c. 1. Cat. p. 1. c. 2. & art. 9.

CAP.

CAP. XVIII.

Epilogus dictorum.

PEr regnum in genere consideratum, vt per medium sensibile omnibus notum; Itẽ multis alijs modis fiunt homines certi, quod Primatus Summi Pontificis datur in Regno Christi: Secundo, Per hunc Primatum, vt per medium sẽsibile, probatur, quod sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana vera Ecclesia est: Tertio, Per hanc veram Ecclesiam, vt per medium sensibile, & certum, probatur, quodnam sit verũ Euangeliũ; verum Verbum Dei, verum Sacrificium, & Sacerdotium; Quæ veritates à Deo sint reuelatæ; Demum, quæ cognitio, & Doctrina, & fides S. Euangeli de Regno Christi vera, & certa de fide sit.

Ioannes. Hæc ad colligendam doctrinam Catholicorum dicta sint: Nunc probationes allatæ doctrinæ sunt afferendæ.

CAP. XIX.

De probationibus, quæ à Catholicis fiunt de Conclusionibus, quæ supra positæ sunt.

NVnc afferendæ sunt probationes, quæ à Catholicis fiũt de iã positis cõclusionib⁹, & dãda est Praxis ad illas cũ certitudine fidei cõprobãdas: Separatę sũt aũt probationes à conclusionibus, vt doctrina magis clara tradita esset.

DE PROBATIONIBVS, Quæ à Catholicis fiunt de ſua doctrina iam explicata.

CAP. XX.

De probatione concluſionum primi, & ſecundi capitis.

Lib. Præd. de ſubſt. QVod veritas ſit ratio manifeſtatiua eius quod eſt, probatur ex Ariſt. lib. prædi.c. de ſubſt. & ita ſapientes affirmant, & omnibus notum eſt.

1. poſt. c. 2. & ſeq. Quod certitudo ſit cognitio de re, quod non poſſit aliter ſe habere, idem Ariſtot. docet primo poſt. capit. 2. & ſeq. & idem omnes ſapientes affirmant.

Doct. Cat. li. 1. Diſt. 4. Quod fundamentum certitudinis ſit quadruplex, in Doctrina Catholica multis modis probatum eſt, & eſt euidens intellectui.

1. Poſt. Diffinitiò certæ probationis omnibus nota eſt: Et Ariſt. lib. poſt. diffuſe illam probat.

Supra c. 2. Concluſiones de completa exiſtentia, & cognitione, & vſu rei, probatæ ſunt per authoritates in margine citatas, & quia claræ ſunt, non egent alia probatione, experientia enim illas probat.

CAP.

CAP. XXI.

De probatione conclusionum tertij capitis de regno in genere considerato.

PRobantur authoritate Aristotelis, & rationibus ab illo allatis: Item authoritate Sapientum: Item ratione, experientia, & sensu; item ex Sacra scriptura. Ar. in Pol.

Nunc expedit probare, quod in omni regno bene ordinato, dantur aliqua media sensibilia, & aliquo modo publica, per quæ homines illius regni, saltem moraliter, fiunt certi de dictis, & factis quibusdam tum regis, tum aliorum. Et hæc conclusio in omni regno, etiam Christi, multis modis probanda est.

Primo ex veteri testamento. Deus dedit signum Caim; Arcum pluuium posuit signum: Abrahæ dedit Circuncisionem: Legem sensibili signo promulgauit, scripsit, dedit. Per Patriarchas, & Prophetas visibiles populum docebat: Per figuras, quæ erant futura, declarabat: Sacram Scripturam publicam, & authenticam; & sensibilem dedit dicta, & facta Dei, & hominum explicantem. Ex vet. test.

Secundo ex testamento nouo: Christus fuit visibile medium, per quod homines facti sunt certi de doctrina à Deo reuelata: Sacra Scriptura est mediũ sensibile; Apostoli fuerunt tale medium: Idem est de miraculis: Idem de prædicatione Apostolorum: Euangelium ait, Ioannes Baptista non erat lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine: Ait; Apostoli fuerunt testes à Christo ordinati: Christus dixit, in ore duorum, vel trium stat omne verbum, Traditio est medium sensibile: Ita vnanimis consen- Ex test. nouo. Conc. Tri. sess. 4. ca. 1. & 2.

sensus sanctorum Patrũ; Ita testimoniũ Ecclesiæ de aliqua veritate reuelata; Concilium etiam generale tale medium est: Idem in plurimis alijs.

Experiẽtia

Tertio, Per euidẽtiam intellect⁹: Omnes sapiẽtes ita affirmant: Regum leges, & edicta; Item Principũ & Magistratuum; Ita iudicum sententiæ per publicum, & sensibile medium populis nota fiunt: Rex enim scribit, subscribit per se, per Cancellarium, apponitur Sigillus; Præco promulgat; Affigitur loco solito: Promulgatio de essentiá legis est: Idem in alijs: Historiæ enim, & libri, & Scripturæ tale medium sunt.

Sensus.

Quarto, Probatur per euidentiam sensus: In omni regno constituuntur iudices sensibiles; Item notarij, & Tabelliones, quæ publicæ sunt personæ, & per publicam scripturam faciunt homines certos de dictis, & factis: Idem faciunt testes fide digni: Testamenta fiunt cum magna solennitate: Homines in contractibus per medium sensibile suas declarant voluntates: Ita in Matrimonijs, Et idem alijs multis modis fit.

S. Pau. Ro. 1 Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, cognoscantur.

Cum ergo in Regno Christi, neque Christus, neq; Spiritus sanctus sensibiles sint; homines autem per sensum suam obtineant cognitionem, necesse est dicere, vel quod Regnum Christi sit male ordinatum; vel quod in ipso à Christo sit ordinatum sensibile medium, per quod in cunctis sæculis homines fiunt certi de dictis, & factis ipsius, & de veritatibus à Deo reuelatis; de quibus infra dicendum: Et hoc valde notandum est.

Aliæ conclusiones tertij capitis explicant, nomen, diffinitionem, quatuor causas, proprietates, operationes, partes de regno in genere considerato, & claras habent probationes ab Arist. in libris Politicorum explicatas.

CAP.

CAP. XXII.

De praxi ad probandas conclusiones quarti capitis.

COnclusiones quarti capitis explicant de maximo Regno Dei, nomen, diffinitioné, diuisionem, proprietates, & partes. Praxis ad probandum dicta talis est.

Sicut homo est compositus ex corpore visibili, & anima inuisibili; & per corpus visibile cognoscitur anima inuisibilis: Ita regnum Dei est quid mixtum ex ente naturali, & visibili; Item ex supernaturali, & inuisibili; & Sanctus Paulus ait, Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas: Ideo entia visibilia sunt medium à Deo in regno suo ordinatum, per quod homines, etiam lumine naturali, fiunt certi de multis, quæ inuisibilia sunt, veluti Deum esse, & habere prouidentiam totius mundi. Rom. 1. Cate. ar. 1. num. 6.

Praxis ad omnes conclusiones dictas probandas à quatuor locis accipi potest.

§. Primus locus est Verbum Dei, seu Sacra Scriptura veteris, & noui testamenti; in qua plurima de hoc regno narrata, & explicata sunt. Vetus test.

Secundus Locus est authoritas Sapientum, veluti Aristotelis, & Platonis, & aliorũ, qui multa de Deo, & illius operibus, atque gubernatione dixerunt. Cate. ar. 1. num. 6.

Tertius locus est ab euidentia intellectus, qui lumine naturali à posteriori, & per effectus multa de Deo, & illius regno cognouit. Ibid. & in præf. a. 1. & seq.

Quartus locus est sensus, q̃ euidẽter cognoscit, mũ- Rom. 1.

bandum est, quod Regnum Christi vere, & realiter Regnum sit, & quod vere, & realiter habeat omnia, quæ de substantia, & essentia veri regni sunt: Et hoc facile est probare, quia Scriptura plurimis in locis apertissime ita esse dicit: Quod si verum est verbum Dei, & dicit esse, quod est, & non potest res aliter se habere; necesse est, quod in Regno Christi, iuxta gradum suum, sint omnia illa, quæ per hoc verbum, Regnum, in genere consideratum significatum est: Alioquin verbum Dei nō verum, sed falsum significabit.

Secundo, Per lumen naturale, & per dicta sapientum debent probari illa omnia, quæ de essentia veri regni sunt: Et hoc Aristoteles in Politices fecit; & euidentia intellectus, & sensus confirmari debet.

Tertio, Facienda est probatio ex vna præmissa certa de fide, alia lumine naturali sic.

Maior. Quidquid essentialiter regno in genere considerato conuenit, Illud totum, iuxta genus suum, conuenit regno Christi. Ar. in prædi. c. 3.

Minor. Sed dicta in cap. 4. essentialiter conueniūt regno in genere considerato.

Conclusio ergo omnia dicta regno Christi conueniunt.

Maior habet certam probationem ex Scriptura; quæ aperte dicit, Dari regnum Christi, & esse verum regnum, idest habere illa omnia, qua de essentia veri regni sunt; & confirmatur, quia omnia, quæ per se prædicantur de genere; debent etiam de specie prædicari, Ideo maior certa est. Act. Ap. c. 1. & alibi

Minor in capitulo præcedenti probata est.

Cōsequētia, ex dictis distinctione secūda, certa est.

Quarto, Possunt probari singulæ conclusiones dicti capitis per locum qui, in margine notatus est. Ita Conc. generalia.

Hæc igitur conclusio. Omnia, quæ conueniunt re-

Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana vera Ecclesia est, Probatur sic.

Primo hoc tempore hæretici, præter Ecclesiã Romanam, dicunt dari Caluinisticã, & Lutheranam, & multi ex illis ignorant, vel dubitant, vel errant, quæ nã sit vera, vel falsa: Vel ergo Christus in Regno suo dedit sensibile medium, per quod homines fierent certi de vera Ecclesia, vel non: Si non; ergo regnum Christi in re tanti momenti valde est diminutum: Amplius, ignorata vera Ecclesia, necesse est omnia ignorari, quia est firmamentum veritatis: ergo necesse est dari hoc medium; Sed aliud non est nisi iam dictum, ergo. Cate. ar. 9.

Secundo, Aperte probatur ex illo loco Scripturæ; Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã: Nota; meam; non Lutheri, aut Caluini; Nota connexionẽ inter Ecclesiam, & fundamentum illius in hoc primatu constitutam. Math. 16.

Tertio, Hanc connexionem probant Traditio, Consensus Patrum, Concilia Generalia, Dicta, & facta Ecclesię. Per Ecclesiam.

Quarto, Eadem connexio probatur per Euidentiam intellectus, qui videt hunc Primatum esse de substantia cuiuscunque regni, etiam Christi.

Quinto, Idem per euidentia sensus manifeste probatur, Probatio autem ita fiet.

Maior. Quod est sensibile, & habet necessariam, & essentialem, & sensibilẽ connexionẽ cum vera Ecclesia, est medium sensibile ad cognoscendum cum vera certitudine, quænam Ecclesia vera sit. Dist. 1.

Minor. Sed Primatus Summi Pontificis, & Magistratus illi subordinati, sunt res sensibilis, & habẽt necessariam, & certam, & sensibilem connexionem cum vera Ecclesia Christi.

Conclusio. ergo Dicta sunt medium sensibile ad veram Ecclesiam cognoscendam.

Dist. 1. c. 6. Maior est certa lumine naturali, vt in prima Dist. probatum est: Ita sumus ad cognoscendum ignem, & corpus animam medium sensibile est.

Mat. 16. De hoc Doct. Ca. l. 5. Dist. 2. Minor probatur. Quod enim Primatus dictus sit res sensibilis patet quia, etsi Potestas illius non sit visibilis, tamen persona, in qua est talis potestas, visibilis est, vnde dicitur caput visibile: Ita Christus visibilis erat, Quod vero habeat necessariam cõnexionem cum vera Ecclesia, probatur lumine fidei per Scripturam loco citato, & probatur per lumen naturale, quia de essentia cuiuscunque regni est, Ar. lib. Pol. quod summa potestas gubernatiua sit in singulari persona constituta.

Confirmatur. Nullum aliud potest assignari medium, per quod homines fiant certi de vera Ecclesia nisi hoc; ergo conclusio vera.

Ioannes. Vos modo considerate, an aliud mediũ possit assignari.

Claudius. Nullum aliud video medium. Lauretus, Nec ego, & sensus docet, quod certa cognitio de aliqua familia, vel societate, vel regno à proprio illius capite, vel gubernante accipi debet; Ita Lutherani à Luthero, & Caluinistæ a Caluino illorum capitibus, tum cogniti, tum denominati sunt.

CAP. XXV.

De praxi ad probandas conclusiones septimi capitis.

Vide in Doctr. Ca. l. 4. dist. 6. SEptimum caput proponit conclusiones de vera Ecclesias, & omnes habet suas certas protiones, quæ alibi propositæ sunt: Nunc in particulari probandum est, quod sola Ecclesia

Ca-

Catholica, Apostolica, Romana vera Ecclesia est; & quod ipsa sit medium sensibile, per quod homines fiunt certi de vero Euangelio, de vera fide, & de veritatibus à Deo reuelatis: Probationes autem ita fiunt de prima.

Primo, Per primatum Summi Pontificis, & visibiles Magistratus sic: Vbi est Primatus, & Magistratus dicti, ibi est verum Regnum Christi, & vera illius Ecclesia, quæ habet necessariam connexionem cum illis. Sed in sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana dantur, vt omnibus notissimum est, ergo ipsa sola vera Ecclesia erit. Ibidem.

Secundo, Illud dictum Christi, Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, de nulla Ecclesia nisi de Romana verificari potest, ergo illa sola vera. Ibidem.

Tertio, Caput 1. Epistolæ ad Romanos aperte docet, quod Ecclesia Romana ab Apostolis fundata est, & habuit veram fidem, & quod illius fides annuntiabatur per vniuersum mundum; ergo initium illius Apostolicum est. Ibidem. Ibidem.

Quarto, Idem omnino probatur ea actibus Apostolorum. Ibidem.

Quinto, De sola Romana verificantur illa verba, Super Cathedram Moysi, seu Petri, &c. Itẽ portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Sexto, Probatur Traditione. Ibidem.

Septimo, Per Concilia generalia, per Patres, per Ecclesiam, & alijs modis. Ibidem.

Octauo, Totus orbis Romanam Ecclesiam vt veram affirmat in Regno Christi. Ibidem.

Nono, Per euidentiam intellectus, quia sola habet ea, quæ regno conueniunt. Ibidem.

Decimo, Idem per euidentiam sensus, qui omnia in illa vnita, & bene ordinata intuetur: Aliæ multæ probationes factæ sunt. Ibidem.

multis locis Scripturæ.

Primus, Qui non crediderit Ecclesiæ, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.

Secundus, Prædicate Euangelium omni creaturę: Qui crediderit saluus, qui non crediderit damnatus erit; Ecce Apostolica prædicatio tale medium.

Tertius, S. Paulus. Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.

Quartus, Nonus articul⁹ Symboli Apostolorum: Item Niceni, & Athanasij.

Idem multis alijs modis probari potest, ergo conclusio vera; ergo Ecclesia erit verum, & certum, & sensibile medium, per quod homines possunt cum certitudine fidei edoceri de veritatibus à Deo reuelatis, & de omnibus, quæ regno Christi per se conueniunt.

Plura vide in Doctrina Catholica lib. 4. Dist. 5. & alibi.

CAP. XXVII.

De praxi ad probandas conclusiones octaui & noni capitis.

CAput octauum proponit conclusiones de vero Euangelio, & omnes ex Sacro Concilio Tridentino acceptæ sunt: In nono idem fit de cõpleta Summa S. Euangelij: Conclusio autem principalis est hæc: Verum Euangelium, & completa Summa illius est illud, quod ab Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, quæ sola est vera Ecclesia, propositum est: Probatio ita fit. Sess. 4. c. 1. Cat. I pręf.

Maior. Vbi est vera Ecclesia, ibi necessario est verũ Euangelium, & vera Summa illius. Cate. ar. 9.

Mi-

Minor. Sed sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, vera Ecclesia est.

Conclusio: ergo in illa sola est verum Euangeliũ, & vera summa illius.

Vtraque præmissa supra probata est, ergo conclusio vera, & certa erit.

Cat.1 præf. n.11. & in toto opere Quodnam sit autem Euangelium ab Ecclesia Catholica Romana propositum, dictum est supra; Et à Sacro Concilio Tridentino; & Catechismo Romano clare admodum explicatum, atque probatum est.

CAP. XXVIII.

De praxi ad probandas conclusiones de vera certa, & completa cognitione Regni Christi.

A Capite decimo vsque in finem, propositæ sunt conclusiones, non de regno Christi; sed de cognitione illius, quæ modo probandæ sunt.

Dist. 1. c. 2. & 3. Prima probatio est: Aliud est regnum Christi, aliud cognitio: Ita aliud est aurum, ignis, leo; aliud cognitio illorum, vt omnibus notum est.

Cate. art 1. num. 6. Secunda, Cognitio alia est naturalis, & fit lumine naturali; alia est supernaturalis facta lumine supernaturali, & vtraque est necessaria ad completam cognitionem de regno Christi: Probatur, quia regnum est mixtum ex enta naturali, & supernaturali, vt omnibus notum est.

Math. 28. Tertia, Cognitio de regno Christi debet esse vera, certa, & completa; probatur, quia alias esset diminuta, contra dictum Christi contrarium præcipiẽtis illis verbis, Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.

Quar-

Quarta, Hæc completa cognitio est necessaria in Deo, & in hominibus, ob rationem, quæ in conclusionibus allata est. Arg. ibid.

Quinta, Hæc eadem cognitio quatuor habet gradus ratione iam supradicta; & ordo inter illos manifeste patet consideranti. Arg. ibid.

Ex dictis conclusiones de vera, certa, completa, atque perfecta cognitione de regno Christi, & de gradibus, qui in conclusionibus sunt explicati, probari possunt.

CAP. XXIX.

De praxi ad probandas conclusiones vndecimi capitis.

DOctrina reuelata est tantum de supernaturalibus, & de cognitione in Deo latente: probatur, quia est Doctrina supernaturalis, & reuelata. Cat ĩ pręf. & ar. 1. n. 6

Conclusiones huius capitis probatione non egẽt, quia etiam hæretici illas affirmant, & in Sacro Concilio Tridentino, & in Sacra Scriptura fundatæ sunt. Seff. 4. c. 1.

Illa verba Christi; Prædicate Euangelium omni creaturæ; Docete omnes gentes; Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis: Item illa, Qui crediderit, saluus erit, qui non crediderit, condemnabitur; aperte probant, Omnes homines totius mundi, de necessitate salutis, teneri ad habendam veram, & completam cognitionem, fidem, & obseruantiam S. Euangelij, & ad credendum Doctrinæ à Deo reuelatæ. Mathei. & Mar. c. vlt.

Per eadem verba probatur; à Deo fuisse institutũ medium sensibile, per quod homines fiant certi de veri- Ibidem.

Doctrina Catholica, quatenus est supernaturalis, deriuatur à doctrina reuelata, & à Verbo Dei; Et sicut Christus fuit primus author Doctrinæ reuelatæ; Ita Spiritus Sanctus est primus magister doctrinæ Catholicæ, quia Christus de illo dixit; Docebit Ecclesiam omnem veritatem. Côc. Trid. sess. 4. c. 2. & Euang. Ioan. c. 14.

Conclusiones huius doctrinæ sunt, quod sit vera, certa, & completa.

Caput 13. explicat, & probat modum, quo Spiritus Sanctus docet Ecclesiam, & dictus modus ibi, & hic ita probatur. ex Math. c. 28.

Primo Spiritus Sanctus docet Ecclesiam lumine naturali omnes veritates naturales ad regnũ Christi pertinentes; probatur, ex dicto Christi; Docebit vos omnem veritatem; Quod etiam de veritate naturali intelligi debet: Confirmatur, quia talis cognitio necessaria est ad completam de regno Christi cognitionem obtinendam; ideo Spiritus Sanctus debet hanc cognitionem regulare. Ioan. 14. Catec. art. 1. n. 6.

Secundo, Idem Spiritus Sanctus intime, & immediate infundit lumen supernaturale, per quod docet Ecclesiam cum certitudine fidei, & cum priuilegio non errandi, quodnam sit verum Verbum Dei Scriptum, & non Scriptum; quæ vera illius significatio, & res significata; Quæ vera intelligentia, & interpretatio eiusdem. Ibidem. Doctr. Cathol. lib. 4. dist. 5. Côc. Trid. sess. 4. c. 1. & 2.

Tertio, Eodẽ modo docet illã, vt ex dicto verbo Dei sciat deducere, & deriuare oẽs veritates reuelatas; itẽ oẽs errores, & hæreses, quæ illis contrariæ sunt. Ibidem.

Quarto, Post dictas veritates cognitas, & ex verbo Dei fideliter deriuatas, Spiritus Sanctus assistit Ecclesiæ, vt sine periculo errãdi doceat dictas veritates omnes homines totius mundi, & hoc in cunctis seculis, & in æternum. Catec. art 5. Symb. Athan.

Hæc omnia probantur authoritate Scripturæ, Ratione, & experientia.

CAP.

CAP. XXXI.

De Praxi ad probandas conclusiones 14. capitis.

HOc caput proponit conclusiones de fide, & cognitione hominum particularium.

Cōc.Sess.4 c. 1. & 2. Cate ast 9 Symb.Athan. Conclusio probanda est hæc: Spiritus sanctus, ordinarie loquendo, non docet immediate, & cum priuilegio non errandi, omnes homines particulares, quodnam sit verum Verbum Dei; & vera illius intelligentia, & quænam sint veritates à Deo reuelatæ; Sed ordinarie hoc facit per Ecclesiam.

Clara consequentia. Probatur; Plurimi sunt homines, vt infideles, pueri, amentes, rudes, mulieres, hæretici, & multi fideles, qui omnino ignorant iam dicta, vt ex Scriptura, & sensu euidens est: ergo Spiritus sanctus omnes dicta non docet.

Idem. Plurimi habent falsam cognitionem de dictis; ergo non docet Spiritus sanctus.

Euidentia sensus. Catholici, Caluinistæ, Lutherani, de Verbo Dei, De illius intelligentia, & de veritatibus à Deo reuelatis, omnino contraria affermant: ergo non omnes à Spiritu sancto edocti sunt.

Idem. Catholici affirmant Primatum Summi Pontificis, Sacrificium Missæ, Septem esse Sacramenta; hæretici dicta negant, & est impossibile, quod omnes verum dicant; ergo Spiritus sanctus non omnes docet veritates.

Idem. Pauci homines particulares cognoscunt omnes veritates reuelatas; ergo Spiritus sanctus non docet Singulos omnes veritates.

A sensu. In omni Societate, & regno datur pars guber-

nans,

nans, & gubernata; & illa docet, & dirigit hanc; Et hæretici per ministros alios docent; ergo Spiritus sanctus non docet omnes immediate.

Christus immediate docuit Apostolos, qui Ecclesiam rappresentabant;& per illos Omnes homines; ergo Etiam Spiritus sanctus per Ecclesiam singulos fideles,& homines docebit. Mat.28.

S. Paulus ait. Ecclesia est columna,& firmamentum veritatis: ergo per illam homines particulares in veritate firmati sunt. 1.Tim.3.

Apostoli habuerunt priuilegium non errandi, homines particulares non, quia Christus dixit: Qui crediderit;qui non crediderit,ergo. Mar. vlt.

Deus per angelos gubernat homines, & mediante cęlo producit hæc inferiora; ergo simili ratione per Ecclesiam docebit homines particulares. A simili.

Aristoteles loquens de Ciuitate,& populo ait: Alij alia; Omnes omnia; Idest sciunt,& possunt; Singuli enim homines habent propria officia; tota vero Ciuitas omnia illa habet; Et idem erit de Ecclesia: Ipsa enim omnem cognoscit veritatem. In lib. Pol. 1. Cor. 12.

Idem docet Apostolus exemplo corporis humani.

Symbolum Athanasij, ait; Singuli fideles, de necessitate salutis, debent tenere Catholicam fidem, & illam integram, inuiolatamque seruare, ergo Symb. Ath.

Ecclesia Catholica est medium sensibile,& certa regula, per quam homines fiunt certi de vera fide, & veritatibus reuelatis. ergo Idem.

Hæreses Arrij, & aliorum per fidem Catholicam sunt confutatæ. Idem.

Implicat contradictionem, quod vera Ecclesia non habeat veram fidem, homines particulares possunt illam non habere, & de facto non habent. Cate. ar.9

Christus promisit certam assistentiam Spiritus Ibid.

san-

Episcoporum, etiam dispersorum, fides, & consensus est totius Ecclesiæ, ratione dicta. Bellarmin.

Idem de omnibus fidelibus fidem veræ Ecclesiæ profitentibus. Idem.

Idem de Ecclesia Romana vnita Summo Pontifici, quæ est mater, & magistra omnium Ecclesiarũ, & vnitur illi, qui in fide non potest errare. Ibidem.

Caput 16. Explicat decem modos ad probandam aliquam veritatem, probantur.

Duo modi sunt primi, & immediati, Verbũ Dei Scriptum, & non scriptum.

Sex modi sunt mediante testimonio Ecclesiæ, vt dictum est.

Duo modi vltimi in Conclusione probati sunt.

Probationes capitis 17. In conclusionibus allatæ fuerunt.

Iste vltimæ conclusiones tali ratione cum certitudine probatæ sunt.

Lucæ 22. Christus dixit; Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua; & explicat finem dicens: Et tu aliquãdo cõuers⁹ confirma fratres tuos; ergo Sũmus Pontifex non potest errare circa fidem; & cum suo testimonio confirmat fratres suos aliquã veritatẽ de fide, determinando; & certa fide illi credendum est.

Math. 16. ait. Portæ inferi contra Ecclesiam non præualebunt; ergo Ecclesia ex præmissione Christi non potest circa fidem errare.

Ex his duobus locis aperte colligitur; Implicare contradictionem, quod quis sequatur fidẽ Summi Pontificis, & Ecclesiæ, & quod erret in fide; sic enim esset simul verum illum sequi, & non sequi veram fidem; & probatio ita fit. Qui sequitur veram fidem, non errat in fide; Sed qui sequitur fidem Pontificis, & Ecclesiæ, sequitur veram fidem; ergo non errat in fide. ex Meta. lib. 2.

Si ergo Ecclesia Romana; si Conciliũ Generale; Cate. ar. 9 Bellarm.

G Si

Si plurimi Episcopi per orbem dispersi; Si innumerabiles fideles in toto orbe constituti; sequantur fidem Romani Pontificis; & per euidentiam sensus, & intellectus certissime constet, quod ita sit; Etsi dicti tanquam certum de fide credunt, quod Mater Christi post partum Virgo sit; tunc fides illorum erit certum testimonium, quod talis veritas à Deo fuerit reuelata, & probatio ita fit.

Bellarm. in Controuers. Implicat contradictionem, quod aliquis profiteatur, & sequatur veram fidem, & quod sciens, & volens erret in fide. Sed Concilia generalia legitima, item vera Ecclesia Romana, item Episcopi Catholici, & fideles Catholici scientes, & volentes profitentur, & sequuntur fidem Catholicam, & Apostolicam, id est Ecclesiæ Catholicæ, & Summi Pontificis; & vt Catholici certo credunt de fide; quod Mater Christi post partum fuerit Virgo; ergo per hoc suum credere certum dant testimonium, quod Summus Pontifex, & Ecclesia Catholica ita credunt, Si enim nihil certum de fide credunt, nisi in fide Ecclesiæ contentum sit; Credunt autem, vt certum de fide, quod Mater Christi fuerit Virgo post partum; ergo hoc credunt, quia in fide Ecclesiæ contentum est; ergo per hoc suum credere dant testimonium, quod Ecclesia Catholica, & Apostolica ita credat. Aliæ plurimæ probationes sunt apud Scriptores Controuersiarum, & in Doctrina Catholica.

CAP.

CAP. XXXIII.

De vsu traditæ doctrinæ ad certas probationes discernendas.

IOannes. Ecce dedi vobis Praxim ad omnes veritates Euangelicas comprobandas; & ad omnes hæreses confutandas: Ideo si vobis placet huic tractationi finem imponamus.

Claudius. Desidero, vt aliquid dicas de vsu traditæ doctrinæ.

Ioannes. Dicam, sed non debet esse molestum, si aliquæ fiant repetitiones.

Lauretus. Repetitiones opportune factæ, nō molestæ, sed iucundæ sunt.

Ioannes. Semper bonus vsus rei à vero fine illius est desumendus: Finis autem huius Praxis est ostendere, quod Catholici de sua doctrina possint facere & faciant certas probationes; Hæretici vero non: Et iuxta hunc finem vsus talis est.

Titius Catholicus Romanus hanc ponit Conclusionem probandam.

Doctrina, cognitio, & fides de regno Christi, quā ego profiteor, vera, & certa, atque completa est: Doctrina omnium hæreticorum falsa, incerta, & diminuta est: Et de hoc possum facere, & faciam certam probationem.

n. 2. *Probatio conclusionis Catholicæ.*

MAior. Cognitio, fides, & doctrina Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ omnino vera, & certa, & completa est; certa de fide, & supra probata. Cate. ar. 9 Symb. Ath.

Nota per sensum. Minor. Sed ego Titi' profiteor, veram, & integrã cognitionem, doctrinam, & fidem Ecclesiæ dictę: Hæretici vero non:

Conclusio, ergo profiteor veram fidem, Hæretici vero non.

Minor est mihi vera, & certa per sensum; quia scio rem ita esse, & non posse aliter se habere; & me dictam fidem profiteri: Hæreticos nõ: Veluti ego Credo Ecclesiam Romanam esse veram: In illa dari Primatum Summi Pontificis; & Septem esse Sacramenta; & omnia alia, quæ illa credit.

Probatio maioris ita fit.

Nota extremis. Maior. Vera Ecclesia Catholica, omnino habet veram fidem, alias non esset vera.

Supra probata. Minor. Sed sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana est vera Ecclesia Catholica; Aliæ hæreticorum non: ergo: Minor ita probatur.

Doc. Ca. l. 4. dist. 6. Prima probatio per Scripturam; Secundo per traditionem, & per vnanimẽ consensũ sanctorũ Patrũ: Tertio per euidentiã intellectus; Quarto per euidentiam sensus; vt supra probatum est.

n. 3. *Confutatio conclusionis hæreticorum de sua fide.*

MAior. Vbi est vera fides, ibi est vera Ecclesia: Minor; Sed Lutherani, & Caluinistæ nõ possunt probare, quod sua Ecclesia sit vera Catholica; Cõclusio, ergo nõ possunt probare, quod sua fides vera sit.

Cate. ar. 9. Probatio maioris, quia Ecclesia vera sic diffinitur: Est populus fidelis, idest habens veram fidem: ergo implicat contradictionem, quod Ecclesia sit vera, & non habeat veram fidem.

Ex dictis. S. Pau. Ro. cap. 1. & 2. Probatio minoris ita fit; Non possunt probare per Scripturam, quia nihil omnino loquitur de illis; De Romana autem multa dicit, & testatur, quod sit vera Ecclesia; & quod habeat veram fidem: Secundo, non possunt probare per Traditionem, quia

quia Hæretici illam negant: Tertio, Non possunt probare, per euidentiam sensus, & intellectus: Quia aperte probant, quod soli Ecclesiæ Catholicæ Romanæ conueniunt ea, quæ in Regno Christi necessaria sunt; veluti qood in illa sit Primatus Summi Pontificis, sint Episcopi, & Sacerdotes, quæ apud hæreticos non sunt.

Medium certum ad confutandam omnem hæreticorum doctrinam falsam est hoc: Quod illorum Ecclesia non est vera, & quod hæretici cuiuscunque Sectæ non possunt facere, nec faciunt certam probationem, quod sua Ecclesia vera sit, ideo non faciunt, nec facere possunt probationem, quæ in vera Ecclesia fundata sit.

n.4. *Confutatio probationis Hæreticorum de sua fide.*

HÆretici huius temporis fere omnes talem faciunt probationem.

Maior. Vbi est vera intelligentia Scripturarum, ibi omnino est vera fides.

Minor. Sed Lutherani, & Caluinistæ, & omnes alij hæretici habent veram intelligentiam Scripturarum, quia interpretantur vnum locum Scripturæ per alium, & Spiritus sanctus tradidit illis dictam veram intelligentiam.

Conclusio, ergo Omnes Lutherani, & Caluinistæ, & hæretici habent veram fidem.

Confutatur hæc probatio sic: Maior conceditur vera; minor omnino falsa est, Vel .n. oẽs hæretici cuiuscunque Sectæ habent hanc veram intelligentiã, vel nulli, vel aliqui tantum: Si nulli; in omnibus falsa est: Si omnes; hoc est impossibile, quia inter se contraria penitus docent; Et Caluinistæ Lutheranis contrarij sunt: Si aliqui tantum, erit dubium, quinam sint isti.

Cõfutatio est per euidentiam sensus, & intellect⁹.

Amplius; Eadem est dubitatio de Spiritu sancto: Vel enim docet omnes homines particulares veram intelligentiam, vel nullos, vel aliquos: Si omnes; ergo etiam Arrium, Pelagium, & alios: Si nullos; ergo neque Lutheranos: Si aliquos; non poterit probari, quinam sunt illi, neque Scriptura, neque Traditione, neque euidentia sensus, aut intellectus: Lutherani enim non possunt vllo modo probare, quod Luthero à Spiritu sancto data sit vera intelligentia Scripturarum; Nec valet dicere: Vnum locum Scripturæ probat per alium; quia, qui errat in vno, potest errare in alio: Demũ probatũ est supra; qđ Spiritus sanctus ordinarie non dat hominibus, etiam fidelibus, particularibus, priuilegium non errandi, sed homines particulares in fide. & in interpretanda Sacra Scriptura errare possunt; ideo minor omnino falsa est, Hæc autem in Doctrina Catholica fusius videnda sunt.

Cõfutatur per Scripturam.

Claudius. non possum explicare, quam magnum lumen mihi attulerint Conclusiones, & probationes quæ à te traditæ sunt: Doctrina Catholica vndequaque vera esse probatur; & hæretica omnibus modis confutata est; ideo omnia mihi de vera fide, atque doctrina clara, & certa facta sunt: Video, quod Praxis à te data plene deseruit ad omnes, & singulas veritates fidei comprobandas, & ad omnes hæreses confutandas; Sed mihi rem admodum gratam facies, si de hac Praxi aliquid a te magis particulare dictum sit, ad probandas aliquas veritates principales.

Lauretus. Confirmo, quæ à Claudio dicta sunt.

Ioannes. In sequenti distinctione proponite, quanam in particulari, velitis à me circa hanc Praxim explicari, atque probari; & ego libenter faciã, quod à vobis significatum erit.

DIST.

DIST. IV.

In qua examinantur probationes DE VERBO DEI NON SCRIPTO; DE VERO TEXTU BIBLICO; De vera significatione, & re significata à Verbo Dei; Item de Completa Summa S. Euangelij, & illius obseruantia.

CAP. I.

Proponuntur quædam veritates, ut probatæ sint.

CLAUDIUS. Recte, ò Ioãnes, praxis ad omnes, & singulas veritates Euangelicas comprobandas; & ad omnes hæreses confutandas tradita est; In particulari data est hæc Praxis ad distincte probandum, Quod Regnum Christi sit verum regnum; & quod in illo detur Primatus Summi Pontificis; & visibiles magistratus; Item; quod sola Ec-

clesia Catholica, Apostolica, Romana vera Ecclesia sit; Et quod verum Euangelium est illud solum, quod ab illa propositum est: Et quod Spiritus sanctus docet illam immediate, & cum priuilegio non errandi, omnem Euangelicam veritatem; Homines vero particulares, mediante Ecclesia, docet easdem veritates; sed non dat illis priuilegium non errandi: Et quod Cognitio, Fides, Doctrina Catholicæ Ecclesiæ, est vera, & certa, atque completa de Regno Christi; Cognitio, & Fides hominum particularium, catenus est vera, & certa, & completa, quatenus concordat cum fide Ecclesiæ; Quam quilibet fidelis de necessitate salutis integram, inuiolatamque seruare, & tenere necesse est: Aliaque multa docuisti, atque probasti; quæ ad dictam Praxim perficiendam pertinebant; quod opus valde insigne est.

Nihilominus, quia aliquæ veritates fidei in dicta Praxi breuiter, & in generali probatæ, ab hæreticis valde exagitatæ, negatæ, & impugnatæ sunt, quas modo proponam; desidero, vt à te magis distincte examinatæ, atque probatæ sint; Sunt autem, quæ sequuntur.

Prima est, De verbo Dei non scripto, seu de Diuina Traditione.

Secunda, De vero Textu Biblico.

Tertia, De vera Significatione, & re significata à Verbo Dei.

Quarta, De vera intelligentia, & interpretatione Sacræ Scripturæ.

Quinta, De vera, & completa Summa S. Euangelij.

Sexta, De completa, & vera obseruantia Euangelicæ Summæ.

Ioannes. Faciam, quod dixisti; Sed timeo,

meo, quod hæc particularis Tractatio vix possit fieri absque frequenti repetitione eorum, quæ dicta sunt: Hæc autem repetitio doctis sæpe tediosa, atque molesta est.

Lauretus. Repetitiones nouæ materię applicatę non omnino repetitiones, sed potius applicatione sunt dicendæ; & minus doctis, non displicent, imo illis vtiles sunt: Et nos desideramus, sit hoc Opus etiam minus doctis accommodatum vt: Ideo ne recuses, hanc de dictis specialem tractationem habere.

Ioannes. De dictis examinabo probationes, quæ tum à Catholicis, tum ab hęreticis fiunt, vt veritatē facilius discernatis; Et hoc erit huius distinctionis subiectum.

CAP. II.

Explicatur illud dictum Chirsti: Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem.

IOANNES, Maxime expedit, vt dictus locus sit recte explicatus; Est autem difficultas in illo verbo; Vos; Quod potest habere triplicem explicationem; Prima est de solis Apostolis, & Episcopis illorum successoribus; Secunda de Ecclesia Catholica in cunctis seculis considerata; Tertia de hominibus particularibus, vsque ad finem mundi. Ioan. 14.

Catholici illud intelligunt dictum de omnibus, sed diuersa ratione: Apostolis, & Episcopis, simul in Concilio congregatis, hæc pro- De est. Ap. cap. 15.

promissio facta est, vt in actibus Apostolorum patet. Facta est etiam Ecclesiæ modo superius explicato: De hominibus vero particularibus etiam particulari ratione iam explicata, verificatum est.

Supponitur ergo certũ de fide, quod hęc pręmissio Ecclesiæ Catholicæ facta sit, & hoc supra probatum est.

Ratio, Sen 8°, Ecclesię Nunc est explicandum, quid debeat intelligi, per omnes veritates; & necesse est dicere; intelligi omnia illa, quæ per se regno Christi conueniunt, ita vt sensus sit: Docebit Ecclesiam omnia illa, quæ Regno Christi per se conueniunt; & quæ de illo a Deo sunt reuelata, & quæ de illo ab Ecclesia sunt cognoscenda.

Modo quæritur, quæ sint illa cognoscenda ab Ecclesia de regno Christi; & colligitur, esse potissimum sequentia.

Sess. 4. c. 1. Primo Verbum Dei non scriptum; quia certũ est, in regno Christo dari, & est omnino necessarium ad multa de illo cognoscenda, & comprobanda.

Ibidem. Secundo, Verum verbum Dei Scriptum, eadem ratione.

Ibid. ca. 2. Tertio, Vera significatio vtriusque Verbi.

Ibidem. Quarto, Res ab illo vere significata: Hæc enim tria, Verbum significàns: Significatio; & res ab illo significata; talem inter se habent necessariam connexionem, vt vnum sine alio nec possit esse, nec possit cognosci.

Ibidem. Quinto, Vera intelligentia, & interpretatio Verbi Dei; Item illius significationis, & rei significatæ: Res autem significata est regnum Christi, & omnia, quæ per se illi conueniunt.

Ibidem. Sexto, Vera cognitio, fides, doctrina de Regno Christi, quæ certa, atque completa sit; idest omnia cognoscat, quæ per se illi conueniunt, causas, partes, operationes, proprietates.

Septi-

Septimo, Maxime necessarium est, vt Summa S. Euangeli vera, certa, completa, & plene probata in Ecclesia Dei cognita sit. Math.17.

Octauo, Item de vera, certa, & completa obseruantia dictæ Summæ plena cognitio habenda est. Ibidem.

Aliæ sunt veritates ad regnum Christi pertinentes, veluti, Lex, Sacerdotium, Sacrificium, Sacramenta, Euangelium, Ecclesia, & aliæ, sed in iam dictis continentur, & de illis supra dictum est.

Per verba igitur dicta aperte probatur; Christũ promisisse, quod Spiritus Sanctus docebit veram Ecclesiam, idest Apostolicam Romanam, omnes dictas veritates; vnde fit, quod dicta Ecclesia est medium sensibile, & à Christo ordinatum, per quod homines particulares totius mundi fiunt certi, quod dictæ veritates à Deo sint reuelatæ; Ita vt per dictũ, & factum Ecclesiæ; Per iudicium, vsum, consuetudinem, fidem, & doctrinam illius, fit certissima probatio, quodnam sit verum Verbum Dei Scriptum, & non Scriptum; Quæ vera illius significatio, & res significata; Quæ vera intelligentia, & interpretatio; Quæ vera Summa S. Euangelij, & obseruantia illius: Vnde per hoc medium de omnibus dictis veritatibus posset pro Catholicis, & contra hæreticos certa de fide fieri probatio; Nihilominus, ad maiorem de Doctrina Catholica comprobationem magis in particulari de singulis veritatibus proprias probationes, & illarum certitudinem, iuxta ordinem à Claudio propositum, examinabo. 1. Tim.3.

CAP.

CAP. III.

Examinantur probationes de Verbo Dei non Scripto.

HÆC controuersia maxima est inter Catholicos, qui dictum Verbum affirmant; & Hęreticos, qui illud negant: Et quæritur, quinam dictorum certam faciant probationem; Et ostenditur, quod Catholici omnibus modis cum certitudine probant; Hęretici nullo modo.

Sess. 4. c. 1. Prima probatio fit per euidentiam sensus: Illi enim euidens est, quod diuina Traditio, quæ dicitur Verbum non scriptum, in Ecclesia Catholica, vt in Concilio Tridentino vere, & realiter affirmatur; Datur; Recipitur; Veneratur; & hoc sufficit ad probandam affirmatiuam, Idem sensus euidenter cognoscit, quod in eadem Ecclesia (Cat. per totum.) datur Symbolum Apostolorum, & recipitur Completa Summa Sancti Euangelij, quæ nihil aliud sūt, (Sensus experientia.) quam Verbum Dei non Scriptum; quia nullibi in Scriptura reperta sunt. Idem sensus clare intuetur, quod eadem Ecclesia per Traditionem, & Verbum Dei non Scriptum plurima probat de Regno Christi; Veluti Primatum Summi Pontificis; Sacrificium Missæ; Sacerdotium; Visibiles Magistratus; Verum Textum Biblicum; numerum Sacramētorum; nec non Materiam & formam illorum. Hæc & alia plurima per Traditionem probata sunt; & ita esse in Ecclesia Catholica sensui euidens est: Et hæc probatio est à posteriori, & ab effectu.

Im-

Impossibile est, quod Hæretici per sensum possint absolute probare suam negatiuam, quod Traditio, & Verbum Dei non scriptum nullibi detur; quia suam negatiuam possunt quidem probare de suis Ecclesijs, Sed nullo modo possunt negare de Ecclesia Catholica. Probare autem Elefantes non esse; quia in Italia non sunt, nulla probatio est. *Ratio.*

Secunda probatio à Catholicis facta est per euidentiam intellectus: Hic enim lumine naturali euidenter cognoscit, quod in omni Societate bene ordinata; siue sit familia; Siue oppidum, siue Ciuitas, siue Regnum, ordinarie loquendo, per traditionem ab vno in alium quasi per manus transmittitur memoria de dictis, & factis maiorum, & illorum, à quibus originem duxerunt, & præcipue si talia dicta, & facta insignia sint. Et hoc in lege naturæ, & in iure gentium fundatum est. Vnde in Regno Christi de dictis, & factis illius, & aliorum idem necesse est affirmare. Ita vt possit fieri consequentia, quod illa Ecclesia sit vera, & antiqua, & à Christo deriuata, quæ has habet traditiones bene fundatas; Illa vero falsa, quæ non habet: Vnde manifeste apparet, quod negatiuam suam Hæretici non solum certo, sed neque Topice probare possunt: Imo etiam ipsi de Luthero, & Caluino, & alijs Hæresiarchis suas Traditiones habent. *Ar. in Pol. Ius gēt. &. Historiæ.* *Traditio est magistra antiquitatis.*

Tertia probatio est ex dicto, & facto, ex vsu, consuetudine, Iudicio, sensu, doctrina, fide, testimonio Ecclesiæ Catholicæ, vt omnibus notum est. *Conc. Tri. sess. 4. ca. 1.*

Ecclesiæ etiam hæreticorum, vt sic dicam, cuiuscunque Sectæ, diuinas Traditiones verbis quidem negant, factis autem affirmant, dicentes, Spiritum sanctum intime docere fideles omnes Euangelicas veritates à Deo reuelatas, & hanc *Arg. ad hominem.*

do-

doctrinam prouenire ab vno in alium, veluti à Luthero in Lutheranos, & à ministris Verbi Dei in illos, qui suæ Sectæ sunt: Hoc quid est aliud, nisi diuina Traditio per manus à Spiritu sancto, & ab hominibus data? Ergo etiam ipsi affirmant Traditiones, non tamen veras: Diuina enim Traditio est doctrina à Spiritu sancto per manus in cunctis seculis deriuata.

Euangelia. Actus Ap. Epistolæ Canonicæ. Quarta Probatio est ex Sacra Scriptura: Docet enim Christum omnia docuisse, & ordinasse Verbo non Scripto: Apostoli à Christo eodem verbo Euangelium acceperunt: Christus præcepit illis, vt prædicarent Euangelium: Prædicatio autem fit voce, non Scriptura: Apostoli omnes docuerunt verbo nō Scripto: Pauci, & tanquam ex occasione, docuerunt Scripto: Scriptura ait; Non omnia, quæ fecit Iesus scripta esse: Symbolum Apostolorum non continetur in Scriptura: Summa à Christo facta de S. Euangelio in illa non datur; & tamen semper fuit in Ecclesia; ergo necesse est; si Scriptura verum dicit; quod detur verbum Dei non scriptum; & quod Spiritus Sanctus per cuncta sæcula docet Ecclesiam omnes veritates ab illo verbo reuelatas; & hoc etiam hæretici fateri à veritate ipsa coacti sunt.

Demum nullibi Scriptura ait, quod in Regno Christi non datur verbum non scriptum, sed tantum dari Scriptum; imo sæpius contrarium docet, ergo Affirmatiua Catholicorum omnibus modis, & negatiua hæreticorum nullo modo probata est.

CAP.

CAP. IV.

Examinantur probationes de vero Textu Biblico.

TExtus Biblicus colligit, & continet omnia verba Dei, quæ sunt scripta, & ab Ecclesia Catholica, vt authentica, & vera approbata. Sess.4.ca.1

Duo de illo quærenda sunt: Primo an detur, & quomodo dari probetur; Secundo quisnam sit verus, & quomodo probetur esse verum. Ibidem.

Quod detur hic Textus, tum Catholici, tum hæretici affirmant; Sed quomodo probetur dari, ne scio quid dicant hæretici; Catholici dicunt, probari per Traditionem; Hæretici illam negant: Ideo vel non probant, vel alio modo probant, sed credo non probare. Ibidem.

Finis Textus Biblici est, colligere omnia verba à Deo, per Scripturam authenticam, prolata, vt per illa, vna cum verbo Dei non Scripto, manifestentur omnia, quæ ab hominibus de regno Christi cognoscenda sunt: Seu finis vtriusque verbi Dei est, tradere hominibus veram, certam, & completam cognitionem de his, quæ ad regnum Christi spectant. Arg.ibid.

Catholici sic probant dari Textum Biblicum: Primo per sensum, quia est euidens illis, quod detur in vera Ecclesia Dei: Secũdo per euidẽtiã intellect⁹, q clare cognoscit, talem librum esse omnino necessarium in regno Christi, quia cognitio illius est supernaturalis: Tertio per dictum, & factum Ecclesiæ, quæ illum veneratur, accipit approbat, & alijs ad vsum proponit: Quarto per Traditionem, & hæc est vera, & certa probatio; quia per illam probatur, Arg.ibid.

quod

quod hic Textus per Traditionem est ab Apostolis acceptus, qui docuerunt in illo verum Verbum Dei contineri; & vt talem ab omnibus esse accipiendũ: Quinto per Scripturam non videtur posse probari hunc Textum Biblicum dari, quia sic idem probaret seipsum, quod non videtur posse admitti.

Sess. 4. c. 1. Quia Textus Biblicus est fons Euangelicæ doctrinæ, & veritatis, necesse est omnino, vt in regno Christi de illo habeatur maxima certitudo, quæ à Catholicis recte in diuina Traditione fundata est.

Ibidem. Impossibile est enim, quod homines solo lumine naturali de hoc Textu possint habere certitudinem.

Arg. ibid. Si hæretici dicant, Spiritum Sanctum in cunctis seculis semper docuisse hunc Textum Biblicum dari; Dicetur hoc esse affirmare Traditionem: Et Catholici dicunt, quod immediate, & absque periculo errandi docuit de illo Ecclesiam, & per illam homines particulares.

Ibidem. Dari ergo Textum Biblicum per solam Traditionem probri potest: Ita sensus, Ratio, Ecclesia, & experientia probat: Dari enim Opera Aristotelis, Platonis, Ciceronis, Sancti Augustini, Lutheri, Caluini, & aliorum, non aliter, quam per Traditionem probari potest. Et necesse est, quod hæretici, vel dicant, non haberi certitudinem de Textu Biblico ab Apostolis accepto; vel affirment illam, non aliter, quam per Traditionem haberi, opera tamen Spiritus sancti, qui docet Ecclesiam omnem veritatem.

Sess. 4. c. 1. Catholici ergo dicunt, Spiritus sanctus in cunctis seculis docuit Ecclesiam Catholicam immediate; cum priuilegio non errandi; & cum certitudine fidei; hanc veritatem; Datur Textus Biblicus verus; & est ille, quo Ecclesia Catholica vsa est; & dicitur Textus Vulgatæ Editionis; & alium Textum Biblicum verum, & authenticum, certum de fide est,

eſt,non dari; quia neque Eccleſia alium, proponit; Nec Spiritus ſanctus docuit alium.

Notandum,quod, ſicut Spiritus ſanctus per cuncta ſecula docuit Eccleſiam de vero verbo Scripto, ita potuit docere de non Scripto. Ibidem.

Notandum etiam,Catholicos,& hæreticos in hoc conuenire,quod homo virtute naturali nō poteſt obtinere certam cognitionem de vero Textu Biblico; ſed omnino neceſſarium eſt, vt hæc certitudo à Deo accepta ſit; Differunt autem in hoc; quod Catholici dicunt, Spiritus ſanctus primo Eccleſiam, poſtea per illam homines particulares docet hanc veritatē: Hæretici forſitan dicunt, æque primo docere vtroſque,ſed hoc ſupra probatum eſt eſſe falſum: Concluſio ergo Catholicorum talis eſt.

Prima in Regno Chriſti neceſſarium eſt habere certitudinem de vero Textu Biblico.

Secunda,Non poteſt haberi virtute naturali, ſed Spiritus ſanctus illam docet.

Tertia,Hanc veritatem primo docet Eccleſiam, poſtea homines particulares.

Quarta,Docet etiam illam Romanum Pontificē, qui Eccleſiæ caput viſibile eſt.

Quinta,Ille Textus Biblicus, qui à Romano Pontifice,& ab Eccleſia Catholica verus eſt iudicatus, & vt talis approbatus,& omnibus propoſitus, verus eſt, & quod ita ſit,cum certitudine fidei probari poteſt.

Sexta.Impoſſibile eſt, cum certitudine fidei probare,quod Textus Biblicus, non ab Eccleſia, aut a Romano Pontifice, ſed à Caluino,aut Luthero, aut ab alio quocunque hæretico,aut hæreticis approbatus, verus Textus Biblicus ſit dicendus.

Probatio eſt talis ex ſupra dictis: Scriptura docet, quod priuilegium non errandi in rebus fidei datum eſt, ex promiſſione Chriſti, Romano Pon- Math. 16. 1. Tim. 3.

tifici, & Ecclesiæ Catholicæ; quam Spiritus sanctus docet omnem veritatem: De hominibus vero particularibus hoc non docet; imo affirmat contrarium, quod plurimi homines particulares in fide errant; Ideo Catholicis de Textu Biblico facile est cum certitudine fidei veritatem probare, Hæreticis vero de Caluino, & Luthero, & alijs hanc facere probationem impossibile est.

Sess. 4. c. 1. & 2. Probatio Catholicorum confirmatur per Traditionem; per dictum, & factum Ecclesiæ; per Concilia Generalia; Per vnanimem consensum Sanctorum Patrum; Euidentia autem intellectus, & sensus certissimam omnibus dant cognitioně de Textu Biblico ab Ecclesia, & à Summo Pőtifice approbato; Ideo talis probatio fit.

Maior. Textus ab Ecclesia approbatus omnino Ibidem. I verus, & certus est; Hæc iam probata est: Minor; Sed hic textus talis est; & hæc per euidentiam sensus, & intellectus probata fuit; Alia probatio est.

Maior. Ille Textus Biblicus, qui concordat cum Ibidem. antiquo originali ab Apostolis accepto, Item cum Antiquis Exemplaribus; & cum antiqua per secula recepta Traditione; verus, & certus erit: Hæc est intellectui per se ex terminis nota.

Minor. Sed Textus ab Ecclesia, semper re-
Ibidem. ceptus, qui dicitur Vulgatæ Æ-
ditionis est talis, vt notum
est. Conclusio, er-
go est verus.

Demum Sacrum Concilium
Ibidem. Tridentinum hoc deter-
minat de fi-
de.

CAP.

CAP. V.

Examinantur probationes Catholicorum. De vera significatione, & re à verbo Dei significata.

IN Regno Christi non sufficit dari Verbum Dei Scriptum, & non Scriptum; & de vtroque haberi, quod sit, veram, & certam cognitionem; Sed in illo maxime necessarium est, vt etiam habeatur vera, & certa cognitio de vera, & certa significatione illius, & de re ab illo significata, Et quia est impossibile, quod virtute naturali hæc cognitio habita sit; Solus enim Deus certo cognoscere potest, veram verbi sui significationem; necesse est dicere; quod Spiritus sanctus, iuxta promissionem Christi hanc in Regno illius, docet principalissimam veritatem: Cum enim finis principalis Verbi Dei sit tradere hominibus veram, certam, & completam cognitionem de Regno Christi; hoc autem facit per significationem, & rem ab illo significatam; sequetur, quod si ista ignorentur, erit impossibile, quod per Verbum Dei habeatur dicta cognitio de regno Christi: Ideo Spiritus sanctus, vel non docebit omnem veritatem, vel docebit etiam istam: Quod si cognitio de illa non sit certa, neque etiam erit certa cognitio de regno Christi.

Sess. 4. c. 1. & 2.

De hoc dist. 4.

Cum autem circa hanc Verbi Dei significationẽ, & rem significatam maxima sit inter Catholicos, & hæreticos, & alios Scriptores controuersia, & sæpe contrarietas; ita vt non sit possibile, quod omnes sententiæ veræ sint, oportet dicere, quod à Christo in Regno suo fuerit ordinatum aliquod sensibile medium, per quod homines fierent certi de hac vera

Vide Diss. 3. c. 6. Sess. 6. c. 2.

Verbi Dei significatione; veluti, quid significent illa verba; Hoc est corpus meum; Et illa; Tibi dabo Claues regni Cęlorum; & idem de alijs.

Ibidem. Catholici autem dicunt hoc medium esse iudiciũ Ecclesiæ, & Rom. Pontificis.

Ibidem. Vide dist. 3. Hæretici videntur dicere; Est iudiciũ hominũ particulariũ, veluti, Lutheri, & Caluini; Sed hoc est impossibile, vt supra probatũ est; quia Catholici de sua conclusione faciunt certissimam probationem; ostẽdentes, à Christo certam Spiritus sancti assistentiam esse promissam Ecclesiæ, & Summo Pontifici; quod de Luthero, & Caluino, & alijs hominibus particularibus, impossibile est probare: Imo de illis fit certissima probatio, quod dicta assistentia ordinarie data non est; & quod illorum particulare iudicium non est certa regula ad veritates Euangelicas cognoscendas.

Ibidem. Quod autem dicitur de significatione, de re etiã significata intelligi debet: Veritas .n. vnius ex veritate alterius semper accipi potest. Per verbũ enim significans probatur significatio, & res significata; & per rem significatam duo iam dicta probari possunt.

Conc. Tri. sess. 4. ca. 2. Hinc colligitur, quod loca Scripturæ, iuxta sensũ Catholicæ Ecclesiæ intellecta, & interpretata, apta sunt ad faciendam certam probationem: quod facere non possunt, si non iuxta dictum sensum, & multo magis, si contra illum interpretata sint.

Ibidem. Cum autem Catholici omnia loca Verbi Dei, iuxta verum sensum Ecclesiæ, interpretentur, Hæretici sępissime contra dictum sensum illud intelligãt: sequetur, quod Catholici certas de fide possũt facere & faciũt probationes: Hæretici vero nõ: Quod si dicãt; Nos interpretamur Scripturam iuxta sensũ nostræ Ecclesiæ: Respondebitur; Illorũ Ecclesiã, nõ verã, sed falsã esse; Et esse impossibile, quod cũ certitudi

ne

ne fidei, probent, suam Ecclesiam veram esse; Catholici autem omnibus modis certissime probant, quod Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana vera sit.

Hinc habetur vera intelligentia illius dicti S. Pauli. Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis; Cũ enim Spiritus sanctus doceat illã cũ certitudine fidei omnẽ veritatẽ de vero verbo Dei scripto, & nõ scripto; & de vera significatione, & re significata illi' Item de vera interpretatione, & intelligentia eiusdem; sequitur, nihil posse per Scripturam certo probari, aut cognosci; nisi sit iuxta sensum Ecclesiæ interpretata; Ideo omnis veritatis certitudo, & firmitas ab Ecclesia est deriuata. 1. Tim. 3.

CAP. VII.

De vera intelligentia, & interpretatione verbi Dei, & illius significationis, atque rei significatæ.

SIcut aliud sunt Opera, & Libri Aristotelis, vel alterius: Aliud cognitio, intelligentia, & interpretatio illorum; quia Aristoteles fuit efficiens illorum; Alij vero ab ipso sunt causa cognitionis: Ita aliud est Verbum Dei, & illius significatio, atque res significata; Aliud est cognitio, intelligentia, & interpretatio dictorum: Illa enim actio Dei sunt: Ista ab hominibus suam habent efficientiã, sed à Deo regulatam. Euidẽtia, Sensus, & intellect'.

Hãc verã intelligentiã, & interpretationẽ, quę sit vera, certa, & cõpleta, dari in Regno Christi, aperte probatur per illa verba, Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem; Et confirmatur ratione; Quia si finis Verbi Dei est tradere hominibus veram, certam, & completam cognitionem de Regno Ioan. 14. Sess. 4. c. 2.

Christi; hoc autem fieri non potest, nisi cognitio dicta tradita illis sit; Sequetur, illam esse necessariã; & consequenter veram intelligentiam, & interpretationem Verbi Dei esse in regno Christi affirmandam.

Cat. I præf. Impossibile est autem illam virtute naturali haberi posse; Solus enim Deus illam naturaliter habet, & quibus vult potest illam communicare.

Sect. 4. c. 2. Inter Catholicos vero, & hæreticos est maxima controuersia in declarando, quibus, & quomodo à Deo communicata sit: Catholici dicunt: Deus, & Spiritus sanctus, ex promissione Christi, semper, & in cunctis seculis communicauit Ecclesiæ; Romano Pontifici; Concilio Generali; Sanctis Patribus; quibus dedit priuilegium non errandi in hac habenda interpretatione: Hominibus vero particularibus, ordinarie loquendo, non datur hoc priuilegiũ; quia Scriptura docet, & experientia confirmat, innumerabiles homines in verbo Dei intelligendo deficere, errare, & falsa loqui; Ideo interpretatio Catholicæ Ecclesiæ vera, certa, & completa est: Hominum vero particularium potest esse vera, & falsa; completa, & incompleta; & ordinarie certa non est. Hoc ita esse Catholici omnibus modis probant.

Dist. 3. Hæretici videntur sic dicere: Spiritus sanctus non est alligatus Ecclesiæ; & potest, etiam hominibus particularibus, veluti Luthero, & Caluino, dare hoc priuilegium non errandi; ideo etiam illos posse cum certitudine verbum Dei interpretari: Verũ, quod hæc doctrina falsa sit, supra probatum est: Promissio enim Christi de assistentia Spiritus sancti facta est Ecclesiæ cum certitudine, non hominibus particularibus; alioquin omnes illam haberent: Ideo Spiritus sanctus aliquo modo est, non dico ligatus, sed obligatus Ecclesiæ: Hominibus vero particularibus nullo modo potest dici, quod sit obligatus;

ideo

ideo in illis assistentia ipsius certa non est.

Ex dictis sequitur, quod intelligentia, & interpretatio verbi Dei, quæ ab Ecclesia traditur, vera, & certa est. Et quod loca Scripturæ, iuxta sensum Catholicæ Ecclesiæ interpretata, apta sunt, ad certam de fide probationem efficiendam; Quæ contra hunc sensum interpretationem habent; neque Topicam, seu probabilem probationem facere possunt. Sess.4. c.1. & 2.

CAP. VIII.

De completa Summa Sancti Euangelij, & de veritatibus reuelatis ex Verbo Dei deducendis.

IOannes. Nunc rem maximi momenti considerate: Spiritus sanctus, vt doceat Ecclesiam omnem Euangelicam veritatem, non solum docet illam; Quodnam sit verum Verbum Dei Scriptum, & non scriptum; Item veram, & certam illi' significationem, & interpretationem; Sed etiam docet illam; & assistit illi; vt sine errore, imo cum maxima certitudine, sciat, & possit, ex vtroque Verbo Omnes veritates Euangelicas, & præcipue Summā S. Euangelij à Christo institutam, in qua omnia, quæ de substantia sunt S. Euangelij, continentur, veram, certam, & completam deducere; nec non omnia, quæ ad veram, certam, & completam dictæ Summæ obseruantiam pertinent; deriuare. In hac enim completa Summa recte constituenda, & explicanda tota doctrina reuelata, & Catholica occupata est: Et circa illam, vt sic dicam, omnes Controuersiæ inter Catholicos, & Hæreticos originem habent. Et nunc probationes, quæ tum à Catholicis, tum ab hæreticis de illa fiunt, examinandæ erunt. Sed Ioan.14. Cat.I præf. num. 12.

aliqua prius sunt declaranda.

Veritas alia naturalis; alia supernaturalis; Illa est de ente naturali; Ista de supernaturali; Vtriusq; veritatis De⁹ author est: Sicut duplex est veritas, ita & doctrina: doctrina naturalis pertinet ad ītellectū, & sensū, & cōtinetur in Logica, & Philosophia: Supernaturalis cōtinetur in verbo Dei, & dicitur doctrina reuelata: Vtraq; est necessaria ad habēdā cōpletā cognitionē de regno Christi: Hoc .n. regnum est quid mixtū ex ente naturali, & supernaturali: Sicut natura ordinatur ad gratiā, & hæc ad gloriā: Ita doctrina naturalis ordinatur ad supernaturalē, & ad reuelatā sicut in Doctrina Arist. quinq; possūt cōsiderari: primo Doctrina in mēte ipsius: Secūda eadē in libris explicata: Tertia Magistri, & Lectores, qui illā docent: Quarto discipuli, q̃ libris studēt, & audiunt lectores: Quinto vs⁹, & applicatio doctrinę iā acquisitę ad causas rerū explicādas: Ita est de doctrina reuelata: quæ Primo est in mēte Dei, vt in primo authore: Secūdo est in Verbo Dei sicut in libro: Tertio est à Spiritu sācto sicut à vero magistro, tū librū, tū doctrinā tradente: Quarto Ecclesia & homines particulares sūt discipuli huic libro studētes, & docētē Spiritū sanctū audiētes: Quinto vsus, & applicatio doctrinæ iā obtētę ad tria potissimū obtinēda, ordinata est, quæ sunt; cōpleta cognitio de Regno Christi; Cōpleta sūma S. Euāgelij; Tertio cōpleta obseruātia eiusdē sūmę: Sicut .n. Philosophi, & Medici doctrinā iā obtētā per cōsequētias è notis ad ignota; & a principijs, atq; causis, ad cōclusiones, & effectus ordinarie applicant ad oīa cognoscēda, & efficiēda, quæ particularia sūt: Ita Ecclesia, & homines particulares faciūt de doctrina à Verbo Dei, & à Spiritu sācto obtēta: Sicut ēt in omni sciētia fit diuisio in partē principiorū, quæ per se nota sunt; & in partē conclusionum, quæ ex principijs sūt deriuatæ; ita est in doctrina Catholica; cui⁹ prin-

cipia sunt verba Dei, & doctrina à Deo reuelata: Pars vero cōclusionū sūt omnes actiones, & cōsiderationes particulares, q̄ de regno Christi habēdæ sūt; Veluti, Quot sint Sacramēta; Quę materia, & forma illorū; Quis Textus Biblicus verus; quæ vera illi⁹ interpretatio; Quis bonus vsus, & administratio Sacramentorū: Quæ Fides, an Catholica, vel Lutheri; aut Caluini vera sit, An hic sit legitime Baptizatus; An hæc aqua sit legitima materia Baptismi; & alia innumerabilia singularia, de quib⁹ Verbū Dei pręcise nō loquitur, & tamē de illis, per consequentias a verbo Dei, cognitio est deriuāda; Ideo hęretici, qui consequētias ex verbo Dei negant, omnino sunt deridēdi: Per has ergo consequentias, Cōpleta sūma S. Euāgelij, & completa obseruantia illius, & alię veritates reuelatæ à verbo Dei deriuandę sunt.

Ioannes. Queso notate, quod modo dicā: Catholicus debet dicere; Verbū Dei, & Sacra Scriptura est liber toti mūdo publice datus; & omnes homines particulares, etiā infideles, & quicunq, sint, possunt, imo debent, & tenentur, iuxta capacitatē, & opportunitatē suā; legere illā, & studere illi, & audire magistros illum explicantes, & docentes: Possunt etiam facere consequentias & applicationes dicti verbi, & rei ab illo significatæ, ad actiones suas, & aliorum bene regulandas: Debet concedere, quod Arrius, Lutherus, Caluinus, & alij potuerunt hoc facere; Item concedendum est, quod Spiritus sanctus potest, & cum vult, vere facit; quod multi homines particulares veram obtineant cognitionem verbi Dei, & faciant veras consequentias ab illo circa Completam Summam S. Euangelij, & obseruantiam illius; Sed debet insistere in hoc;

Quod Spiritus sanctus, per illa verba Christi, Docebit vos omnem veritatē; & suggeret vobis omnia; est, vt sic dicam, obligatus Ecclesiæ, vt doceat illam

omnem

omnem veritatem de verbo Dei, & de veritatibus ab illo per consequentias deducendis; & quod in vtroque dat illi priuilegium non errandi: Ideo Completa Summa Sancti Euangelij; & Completa obseruantia illius, ab Ecclesia Catholica per consequentias deriuata, veram fidei certitudinem habet: Et ipsa Ecclesia est medium sensibile à Christo ordinatum, per quod homines totius mundi fiunt certi de dictis; & quod omnes homines de necessitate salutis tenentur credere illi.

De hominibus vero particularibus debet firmiter affirmare; quod Christus dictum priuilegiũ illis nõ promisit; & Spiritus sanctus ordinarie illis nõ dat: Signum demonstratiuũ est; quia maior pars hominũ particularium in dictis errat: Et Lutherani dicunt Caluinistas errare, & isti illos: Vnde sequitur, quod Catholici possunt per Ecclesiam cum certitudine fidei probare, quænam sit vera, & completa Summa, & obseruantia Sancti Euangelij; Hæretici vero non: Et de hoc nunc veritas examinanda, atque probanda est.

CAP. IX.

Examinantur probationes de completa Summa S. Euangelij.

Mat. c. vlt. De hoc Cõc. sess. 4. cap. 1. Cat. I pref. n. 12. & in toto opere

CHristus apertissime docuit, se fecisse completam Summam S. Euangelij, & omnes ad illius obseruantiam obligasse, & Apostolis præcepisse, vt illam omnes populos docerent, & ad illius obseruantiam promouerent. Dixit enim; Prædicate Euangelium omni creaturæ; Item docete omnes gentes seruare ea omnia, quæcũque mandaui vobis: Ecce facta est summa, quia ait, Om-

Omnia, quæcunque: Ecce debent doceri; quia ait; Docẽtes eos: Ecce necessitas obseruandi; quia ait, Mandaui vobis. Item ait. Seruare omnia à Christo imperata: Ratio etiam suadet, quia cum Euangelium sit vnicum medium nostræ salutis, necesse erat, vt Christus in Regno suo completam de illo traderet cógnitionem; alioquin homines nescirent bene vti illo; & qui diminute vritur medio, non potest consequi finem illius: Supponamus ergo dari à parte rei hanc completam Summam à Christo Domino institutã: Et quæramus, quænam à verbo Dei significata sit. Doct. Card. 6. per tot.

In hoc puncto est maxima inter Catholicos, & hæreticos controuersia, imo in ipso sunt innumerabiles nõ solũ inter Catholicos & hæreticos, sed etiã inter ipsos hæreticos controuersiæ: Omnes Catholici eã dem summam omnino semper affirmarunt, & affirmant: Hæretici vero omnes conueniunt in hoc, quod Catholicam summam impugnant; sed incredibile est, quam sint inter se contrarij, & discordes in statuendo, quænam sit hæc summa completa, quæ à Christo est instituta; ita vt hæretici magis occupentur in impugnanda Catholica summa, quam in vera ab ipsis declaranda. Cat. sess. 4. & in toto oper. Cat. in toto opere. Do. Ca. L.

Catholici dicunt, completam Summam S. Euangelij esse his quatuor rebus explicatam: Symbolum Apostolorum; Septem Sacramenta; Oratio dominicalis; & Decalogus. Et multis modis illam probant. Ibidem. Cat 1 p. & num. 11.

Primo probant per euidẽtiam, sensus, & intellectus; quia euidens est, quod modo Ecclesia Catholica ita iudicat, docet, affirmat, dicto, facto, vsu, cõsuetudine approbat, & vbiq; ĩ illa septẽ ministrat Sacramẽta. Cat. Cõ. lib.

Secundo probatur traditione, & verbo Dei non scripto, quia per cuncta prçterita secula semper in Ecclesia Catholica ita iudicatum, & obseruatum est. Et semper Traditio docuit, Hanc summam à Christo, & ab Apostolis acceptam esse. Cat 1 p. & num. 11.

Ter-

Ex Scriptura. Mat. c. vlt. Tertio. Probatur multis modis ex sacra Scriptura; Cum enim doceat, Christum verbo non scripto illam fecisse, & Apostolos illam docuisse in primitiua Ecclesia; Et eandem semper in Ecclesia, opera Spiritus sancti, qui docet Ecclesiam omnem veritatem, fuisse conseruatam; Et cum in præteritis seculis ante Lutherum, & Caluinũ nulla alia reperiretur præter dictam, quæ Catholica vocatur; ergo ex Scriptura aperte colligitur, quod summa Catholica vera sit; Et probatio Catholicorum sit tali ratione.

Mat. c. vlt. Maior. Illa Summa S. Euãgelij, quæ concordat cũ sũma à Christo, & ab Apostolis primitiuæ Ecclesiæ data, & sic successiue per cuncta secula eadẽ seruata fuit in Ecclesia Catholica, vera est: Est per se nota, quia vera summa est illa, quæ à Christo tradita fuit; Ideo quæ discordat ab illa, vera esse non potest, sed omnino falsa est.

Sensus. Cat. I pref. num. 12. Minor. Sed sola Catholica summa concordat cum summa à Christo data; Quia hæc cõformitas per verbum Dei non scriptum, & scriptũ; Per Traditionẽ; per dictum, & factum, & iudicium, & vsum, & cõsue Do. Ca. l. 6 tudinem, & authoritatem, & testimonium, & doctrinam, & prædicationem Catholicæ Ecclesiæ; Et per euidentiam sensus, & intellectus ita esse probatur, vt est videre in Ecclesia Catholica Romana.

Cõclusio ergo sola Catholica summa vera est, quia ipsam solam Ecclesia Catholica docet, & probat esse summam à Christo per traditionem receptam.

Scriptura. Catec 4. p. Quarto, Idẽ probatur alia ratione per Scripturã sic; Primo, Quod oratio dominicalis sit à Christo instituta, & sit necessaria ad salutẽ, sacra Scriptura aper Ex vet. test Traditio, & Testimoniũ Ecclesiæ. tissime docet; Secũdo, Quod Decalogus sit traditus à Deo, & à Christo sit cõfirmatus eadẽ clarissime affirmat: Tertio, Quod Symbolũ Apostolorũ sit ab Apostolis compositum, & primitiuæ Ecclesiæ primo traditum, & successiue in Ecclesia conseruatum, perpe-

tua

tua Ecclesię traditione,& vsu, & consuetudine receptum est, & ab illa vt regula vere fidei veneratur: Quarto, Quod septem sint Sacramenta, primo quidem per traditionem, & per verbum Dei non scriptum; Item per dictum, factum, iudicium, testimonium, doctrinam, prædicationem, vsum Catholicæ Ecclesiæ probatum est; Deinde per scripturam apertissime dictus numerus probatur: quia singula Sacramenta habent locum proprium, & præcisum in Scriptura, in quo affirmatiua cuiuslibet Sacramenti continetur; Vt in Doctrina Catholica lib.6. Dist.2. & seq. probatum est. Ideo iste numerus apertissime in Scriptura solidum fundamentum habet. V de Doc. Cath. li.6. Conc. Cat.

Quinto. Probatur per rem à verbo Dei significatã sic: Christus loco citato dixit, se fecisse hanc sũmã, & ordinasse, quod de illa omnes edocerentur, & obseruarent: Vtique res à tali verbo significata est completa summa Sancti Euangelij; Nunc quæro, an dictum verbum Christi sit verum, vel non: Si non, ergo Christus mentitur: Si verum, ergo significat esse, quod est: ergo significat vere, & realiter à parte rei dari hanc completam summam; Vel ergo hæc summa à parte rei datur, vel non: Si non, ergo falsum est verbum Christi, quia significat esse, quod non est: Significat enim esse hanc summam, quæ non est: Si datur a parte rei: Quæro de illa quando, & quomodo inceperit, & permãserit in Ecclesia, & an sẽper fuerit eadẽ omnino per cũcta secula ĩ Ecclesia: Vtiq; necesse est dicere, quod à solo Christo, vt ipsemet dicit, facta sit: Et qđ neq; Apostoli, neq; Rom. Pontifices, neq; Ecclesia habẽt potestatem in illa, quoad substantialia, aliquid addendi, mũtãdi, nec detrahendi; & ideo necesse est dicere, quod dicta summa eadem omnino numero opera Spiritus sancti, qui de illa docet semper Ecclesiam omnem veritatem, per cun- Mat. c. vlt. Conc. Tri. sess. 4. ca. 1. Ca. 1 pref. num. 11. Do. Ca. l. 6

cta

cta secula integra, & inuiolata permanserit in Ecclesia; & quod per cuncta secula ante Lutherum, & Caluinum fuerit, & quod post illos eadem manserit in Ecclesia; Sed ante dictos sola erat Ecclesia Romana; nam græca non est Catholica; & summa, quam tunc habebat, erat eadem cum illa, quam modo habet, nempe iam dicta; ergo vel summa à Verbo Dei significata est dicta Catholica, vel verbum Dei non semper in significando verum fuit; quia non semper significauit esse, quod est, & non semper in Ecclesia à parte rei fuit illa summa, quam ipsum verbum significabat: Confirmatur: Summa, quam modo hæretici moderni docent, est omnino diuersa ab illa quam Ecclesia ante illos docebat, & præcipue circa Sacramenta; quia ante illos docebat, esse septem, & ita in vsu receptum erat; Vel ergo Verbum Dei significabat esse septem, & tunc ante hæreticos significabat esse, quod est; quia in Ecclesia septem erant Sacramenta; vel significabat esse pauciora; & tunc nō erat verum, quia significabat quid à re significata diuersum, nempe non esse, quod erat: ergo Vel semper Verbum Dei significauit septem esse Sacramenta, vel aliquando in Ecclesia, res significata discordabat à verbo Dei significante, quod est esse falsum.

Sexto Probatur per illa, quæ cum Euangelica summa infallibilem habeat connexionem, quæ sunt ab illis verbis Christi, Docentes eos seruare omnia, quęcunque mandaui vobis, significata: Illud enim verbum, Omnia, quæcunque, significant ipsam summam; Illud, Mandaui, significat à solo Christo, quoad substantialia, esse institutam, & cum obligatione, seu cum modo præceptiuo, & obligatiuo. Illud, Vobis, significat Apostolis esse à Christo datam. Illud, Docentes, declarat, doctrinam Apostolorum, & successorum debere esse illi annexam: Illud, Eos, annexam illi esse in fidelibus cognitionē,

Mat. c. vlt.

quia

quia docere, & addiſcere correlatiua ſunt. Illud, ſeruare, ſignificat, quod non ſufficit cognitio, ſed, ſaltē in iuſtis, obſeruantia omnino illi coniuncta eſſe debet. Illa vero verba, Spiritus ſanctus docebit vos omnem veritatem, & manebit vobiſcum in eternũ, declarabit, quod non ſolum Apoſtoli, & illorum ſucceſſores, ſed etiam Spiritus ſanctus ſemper in Eccleſia docet dictæ ſummæ omnem veritatem; & hoc ſine errore, quia eſt Spiritus veritatis, & in docendo errare non poteſt.

Huic igitur ſummæ infallibiliter annexa ſunt; Primo Chriſti inſtitutio, & collectio; Secundo Doctrina, & Traditio Chriſti Apoſtolis; Tertio Doctrina Spiritus ſancti Apoſtolis, & Eccleſiæ; Quarto Doctrina Apoſtolorum, & ſucceſſorum; Quinto Cognitio, & diſciplina in Eccleſia, & in fidelibus; Sexto Cōpleta obſeruantia in iuſtis. Ibidem.

Ex hoc apparet: quod per vnum dictorum poteſt aliud probari.

Certum eſt autem, quod duo vltima ſunt notiora nobis, nempe cognitio, fides, Doctrina, prædicatio, & determinatio Eccleſiæ vniuerſalis: Item vſus, conſuetudo, & obſeruantia eiuſdm Eccleſiæ: Hinc fit, quod hęc duo ſunt optimum medium ad probandum cum certitudine alia ipſis annexa, nempe Chriſti inſtitutio, & alia iam dicta. Con. ſeſſ. 7.

Cum ergo Catholici probent per euidentiam ſenſus, & intellectus, quod Eccleſia Catholica non ſolum modo, ſed etiam ſemper in præteritis ſeculis tradidit doctrinam de ſeptem Sacramentis, & huic doctrinæ vſus, conſuetudo, & obſeruantia concordabat, videtur à Catholicis facta certiſſima probatio de illis; & idem de alijs eſt: ergo Vndequaque probatio Catholicorum certiſſima erit, quia omnibus modis ſuam de hac ſumma probat affirmationem. Con. ſeſſ. 7. per totum. Doctrina Chriſtiana Roma impreſſa.

Catholici ergo ita concludunt: Completa ſumma

ma S. Euangelij sic diffinitur; Est breuis, & completa collectio eorum omnium, quæ de substantia Sancti Euangelij à Christo sunt instituta: Ad summum
Do. Ca l. 6 Ca. 1 præf. num. 12. autem quatuor, ait S. Aug. & ex Scriptura probatur, sunt de substantia S. Euangelij; quæ sunt, Fides, Spes, Charitas, & Bona opera: Symbolum autem colligit omnia, quæ explicite sunt credenda: Oratio dominicalis colligit omnia, quæ à Deo, & desideranda, & petenda sunt: Decalogus omnia colligit opera, quæ à Christiano fieri debent: Septem Sacramenta colligunt illa omnia, per quæ & tota Ecclesia, & singuli fideles, iuxta statum suum, possunt obtinere gratiam, & iustitiam, & charitatem, & vitā spiritualem, & applicationem meritorum Christi; Ideo hæc summa ex omni parte completa est, & omnibus modis cum certitudine fuit probata.

Ioannes. Vultis, vt ostendam, hæreticos nihil certi contra illam probare?

Claudius. Ex dictis colligi potest, sed gratissimum mihi erit, si feceris.

Lauretus. Mihi quoque gratissimum facies.

CAP. X.

Ostenditur hæreticos nihil certi contra Catholicam summam probare.

Do. Ca. l. 6 PRo hac re declaranda supponendum est, quod doctrina Catholicorum de completa summa S Euangelij est affirmatiua; & quod ad probandam affirmationem, vt supra dictum est, sufficit probare, quod res alicubi sit; ad
Dist. 1. probandam vero absolutam negationem opus est probare, quod res nullibi sit: Veluti, ad affirmandum,

dum, quod rex Galliæ sit rex, sufficit probare, quod in Gallia regnet; Ad probandum vero, quod non sit rex, necesse est probare, quod nullibi regnet. Ita est in proposito nostro, pro affirmatiua Catholicorum probanda sufficit probare, quod Catholica summa in Ecclesia Catholica Romana sit; nec opus est probare, quod sit etiam in Ecclesia Lutherana, & Caluinistica: Ad probandam vero negatiuam opus est probare, quod neque etiam in Ecclesia Catholica sit: Hæretici ergo, si volunt impugnare affirmatiuam Catholicorum, necesse est, vt probent nullibi esse Catholicam summam, & à parte rei omnino non dari; & Catholicos affirmare ex parte rei esse, quod non est: Nunc ostendam, hoc ab illis non probari.

Quod fides non sit de substantia Sancti Euangelij impossibile est per Scripturam, vel alia ratione probare: Quod Symbolum Apostolorum non sit factũ ab Apostolis, & non sit vera regula credendi, & nõ sit in Ecclesia Dei, dementia esset, velle negare. Euidẽtia. Scriptura.

Quod Decalogus non sit datus à Deo, & à Christo confirmatus, & quod non præcipiat opera facienda, & quod non sit illi obediendum, & non esse de substantia Sancti Euangelij, ridiculum, & impiũ est velle probare, cum loca Scripturæ probantia oppositas affirmationes clarissima sint. Scriptura.

Absurdum est etiam, velle probare, quod oratio dominicalis non sit instituta à Christo, & non sit necessaria ad salutem, & ideo non sit de substantia S. Euangelij: Sacra enim scriptura apertissime docet contrarium. Euãgeliũ.

Vt autem ostendatur hæreticos de his tribus nihil probare, fiet Silogismus, quem ipsos facere pro hac probatione necessarium est, & talis erit.

Maior, Illa affirmatio, quæ dicit esse, quod nõ est a parte rei, omnino falsa est. Sup. dist. 1.

Minor. Sed affirmatio Catholicorum de Symbo-

lo, Decalogo, & Oratione dominicali, dicit esse, quod à parte rei non est: ergo falsa erit.

Ioannes. Considerate nunc, qua ratione minorẽ probabunt: An per euidẽtiã sensus, & intellect⁹, qui contrariũ in Ecclesia Catholica vident. An. ex dicto Ecclesiæ Catholicæ, quæ omnino contrarium docet: An ex Scriptura, quæ de Symbolo non docet negatiuam, de alijs apertissimam habet affirmatiuam.

Nunc examinemus, an aliquid certi probent de numero Sacramentorum, & ostendam, nihil omnino certi posse probare. & probo sic.

Sup. dist. 1. Maior. Omnis certa probatio fit, vel per euidentiã sensus, aut intellectus, vel per certum dictum Dei, & Ecclesiæ.

Ex supradictis. Minor. Sed hæretici nullo horum modorum probant negatiuam, & Catholici omnibus dictis modis probant affirmatiuam, ergo

Probatur inductione.

Experiẽtia Sensus apertissime videt, nunc, & semper in Ecclesia Catholica septem fuisse Sacramenta: Idẽ est de intellectu: ergo per ipsos certissime probatur, affirmatiuã Catholicam affirmare, quod à parte rei est; & negatiuam hæreticorũ esse falsam, quia negat esse, quod vere à parte rei est. Nec valet dicere; Hic numerus nõ datur in Ecclesia Lutherana, & Caluinistica, quia non valet hæc consequentia, Sacramenta non sunt apud infideles, ergo non sunt: Sufficit enim alicubi esse.

Cõc. sess. 7. Cat. I pref. num. 12. Quod hæretici non possint probare suã negatiuã per dictum veræ Ecclesiæ Catholicæ patet, quia ipsa semper docuit affirmatiuam: Et si dicant Ecclesia Lutherana, & Caluinistica negat: Opponitur, quod istæ Ecclesiæ sunt nouæ: Numerus autem Sacramentorum per cuncta secula semper fuit idem, & omnes fideles ante Lutherum, & Caluinum septem esse affirmabant: Demum dictæ Ecclesiæ

non

non veræ, ſed falſæ ſunt, ideo nihil probant.

Neque poſſunt probare negatiuam per Verbum Dei non ſcriptum, neq; per traditionem, quia dicta negant; Neque poſſunt probare per ſcripturã, quia Catholici ad probandam affirmatiuam de ſingulis Sacramentis habent loca Scripturæ propria, per quæ præciſe, & æquipollenter probatur affirmatiua, vt patet in Doctrina Catholica lib. 6. Diſt. 2. & ſeq. Hæretici autem nullum locum Scripturæ habent proprium, per quem præciſe, & æquipollenter probetur negatiua. Exemplum ſit de extrema vnctione: In Epiſtola Iacobi eſt locus clariſſimus pro affirmatiua; & hæretici nullum adducunt locum clarum pro negatiua: Nullibi enim Scriptura aperte negat, infirmos eſſe vngendos oleo: Idem de alijs: Et hoc valde notandũ eſt, quia loca Scripturæ à Catholicis de ſingulis Sacramentis allata manifeſtam faciunt affirmationem, quod de negatiua hæreticorum non verificatur: Quod enim Sacerdotes remittant peccata, in Scriptura claram habet affirmationem, cum poſtea nullibi reperiatur hæc negatiua; Sacerdotes peccata non poſſunt remittere. Negatiua ergo hæreticorum de numero Sacramentorum nullo modo poteſt certo probari.

Vide I Do. Cath. li. 6. Idẽ in Ca. & Conc. Trid. vbi de Sacrã.

Ioannes. Si placet impugnabo etiam ſummam hæreticorum. Claud. Laur. Placet.

C A P. X I.

Impugnatur summa hæreticorum.

Scriptura. Doct. Cat. li.3. & 6.

NVnc ostendam, hæreticos ineptissime loqui de summa S. Euangelij; prius autem notandum. Quod regnum Christi vere, & realiter datur à parte rei, & quod à tempore Christi vsque ad finem mundi semper idẽ numero permanebit: Porro forma illius est S. Euangelium, in quo gubernatio dicti regni posita est: Materia autem, & res gubernata Ecclesia Catholica erit: Hinc fit, quod S. Euangelium non est res priuatiua, quæ possit explicari per negationes; sed est res positiua, & realis, quæ omnino per affirmationes est explicanda: Propterea Catholici dictam summam per affirmationes proponunt, & probant: Hæretici autem magis per negationes, quam per affirmationes de S. Euangelio loquuntur: Hic enim videtur esse finis hæreticorum. vt negent omnia, quæ à Catholicis dicta sunt. Quæso hoc diligenter obseruate, & videbitis doctrinam hæreticorum fere totam esse negatiuam: Ego nunc ita discurro: Vel datur summa Euangelij, vel non: Si non: Christus ergo mentitus est: Si datur; vel cognitio, & obseruantia illius est necessaria ad salutem, vel non: Si non: ergo verba Christi iam allata vera non sunt: Si est; ergo omnino opus est, vt singulis fidelibus distincta, & completa cognitio illius data sit; & hęc cognitio debet esse vera; nempe debet esse de illa summa, quę à Christo tradita est: quę vtique vna, & eadem numero est: Nunc quæro ab hæreticis: Vel summa Catholica est vera, vel non: Si vera: vt quid contendimus, cum omnes idem dicant? Si non est vera: Vtique necesse est, quod in regno Christi detur hęc summa vera, & op⁹

est

eſt de illa veram,& certam tradere cognitionem.

Hoc faciunt Catholici, qui dicentes Catholicam ſummam eſſe veram, illam docent, probant, explicant; Cur ergo hæretici non debent docere, non negatiue, ſed affirmatiue, quænam ſit alia ſumma, vt ipſi dicunt quæ vera eſt? Experiētię

Ego diligenter conſideraui, quid de ſumma Euangelica hæretici affirment, & negent: Et de doctrina negatiua cognoui ex magna parte, quid dicant: Fere enim omnia negant, quæ in ſumma Catholica affirmata ſunt: Conſideraui, quid affirment de vera ſumma, & fateor, me non intelligere, quid ſomniēt, quid dicant: Quidam enim omnia videntur negare, etiam ipſum Deum, & nihil affirmare: Alij fere nihil affirmant: Qui vero aliquid affirmant, adeo ſunt inter ſe contrarij, & diſcordes, vt impoſſibile ſit in vnam veritatem conuenire; Lutherani inter ſe ſunt diſcordes, multo magis à Caluiniſtis; Idem eſt de Caluiniſtis: Vt mihi videtur; Singuli hæretici volūt ad libitū ſuū euāgelicam ſummam ſibi propriam determinare: Vix mihi videtur, quod hæretici in hoc conueniant; Fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem.

Ioannes. Quid dicis Claudi? Caluiniſtæ conueniūt inter ſe in hac ſumma ſtatuenda? Claud. Non: Ioan. Conueniunt cum Lutheranis? Claud. Non: Ioan. Conueniunt cum Catholicis? Claud. Non: Ioan. Summa Euangelij eſt vna tantum, an multæ? Claud. Vna.

Ioannes. Laureti idem dicis de Lutheranis: Laur. idem dico.

Ioannes, Nunc probabo, quod ſumma ab hæreticis facta falſa eſt.

Maior. Summa vera eſt illa, quam ſolus Chriſtus fecit, & Spiritus ſanctus continuo illam docet; Et Eccleſia Catholica recipit, & obſeruat, & eſt vna, eſt maxime certa, & determinata, ita vt neque Apoſtoli, Cōc. ſeſſ. 4 cap. 1. Mat. c. vlt.

neque Ecclesia, nec Romani Pontifices, nec Concilia generalia possint circa illam, quoad substantialia, aliquid innouare, addere, mutare, detrahere, sed semper, & vbique eadem est.

Experiētia. Minor. Sed summa ab hæreticis proposita, non est vna, sed plurimæ proponuntur: Non sunt veræ, quia inter se contrariæ, & oppositæ. Summa enim facta à Lutheranis contrariatur illi, quæ fit à Caluinistis, & est impossibile, quod ambæ veræ sint. Non sunt certę quia necesse est, quod aliquæ, vel omnes illarum falsæ sint; Et vna Secta, vt Lutheri, dicit Summas ab alijs hæreticis factas esse falsas: Non sunt determinatæ; quia in illis fit innouatio, mutatio, additio, subtractio; Nō sūt antiquæ, quia de nouo introducte; & ante Lutherũ, & Caluinum sola Catholica in vsu erat.

Experiētia. Conclusio, ergo cum Summa Catholicorũ sit vna, sit antiqua, sit perpetua, sit ab Apostolis, & à Christo deriuata, sit à Spiritu sancto per cuncta secula edocta; sit per traditionem confirmata; sit cum certitudine, & omnibus modis probata; Ideo vera, & certa sit; Nec vnquam substantialia illius in aliquo sunt mutata: E contra vero omnia de summa hæreticorum sint affirmanda, vt per sensum, & intellectũ apparet; manifeste sequitur, quod summa Catholicorum vera, & hæreticorum falsa sit.

Do. Ca. l. 6. Ioannes. Plura circa hoc videatis in Doctrina Catholica, quia ibi circa hoc, & veritas est comprobata, & falsitas confutata. Et de hoc etiam infra dicetur.

CAP. XII.

Examinantur probationes de obseruantiæ S. Euangelij, quod necessaria sit.

QVatuor in regno Christi considerantur, quæ sunt; Primo ipsum regnum; Secundo Doctrina reuelata de illo: Tertio Cognitio dictæ doctrinæ: Quarto obseruantia eiusdẽ; & cũ dictum sit de duobus primis, nũc de quarto, hoc est de obseruantia, & de illi' probatione dicẽdum est: de tertio .n. infra tractatio habẽda erit.

Obseruantia ergo S. Euangelij sic potest diffiniri: Est exequutio eorum, quæ in S. Euangelio præcepta sunt: Et est finis tum reuelationis, tum cognitionis: Est duplex, sicut & cognitio: Vna dicitur completa, alia perfecta: Completa dicit obseruantiam omnium præceptorum: Perfecta dicit exequutionem etiam consiliorum. Do. Ca. l. 6

Hic locum habet dictum Arist. de ciuitate; Alij alia ait, omnes omnia. Ecclesia .n. sicut habet vndequaque completam, & perfectam cognitionem, ita habet omnino completam, & perfectam obseruantiã Euangelicam; quia in illa alij imperant, alij obediũt; In illa semper sunt justi, & sancti, & consilia euangelica obseruantes: Est enim veluti exercitus bene ordinatus; Est veluti corpus ex varijs membris compositum completam, & perfectam hominis operationem exercens. In Polit. Conc. sess. 21. ca. 1. & seq.

Hæc obseruantia non est verbum Dei, non Euangelium, non Ecclesia, non doctrina reuelata, non fides, non cognitio, sed est exequutio eorum, quæ ab Euangelio præcepta sunt. Do. Ca. l. 6 Ibidem.

Quatuor causæ huius obseruantiæ ita dispositæ sunt: Con. sess. 6 c. 6. & seq.

sunt: Finis illius est altissima gloria Dei, & vita æterna hominum electorum: Materia illius sunt omnes actus virtutum à lege Euangelica ordinati: Forma dicit duo, Et vnum est, quod dicta obseruantia sit digna Deo, & grata illi: Alia, quod sit meritoria vitę æternæ: Vtrunque autem couuenit illi per gratiam, & per meritum Christi hominibus communicatum: Homo, & Ecclesia est efficiens immediatum huius obseruantiæ: Christus est efficiens, & graciæ, & meriti, & vt caput influit in omnes homines iustificatos, & in totam Eccleliam virtutem, vt hanc obseruantiam completam, perfectam, dignam Deo, & meriroriam vitæ æternæ efficere possint.

Conc. ibi. Doc. Cat. Ibidem. Hęc obseruantia est propria operatio finalis regni Christi: Finis enim illius regni est gloria Dei, & vita æterna: Operatio finalis dicti regni est completa, & perfecta obseruantia eorum, quæ à lege Euangelica pręscripta sunt, quæ sit talis, vt digna, atque grata Deo sit, & meritoria vitæ æternæ. Materia adequata dicti regni est tota Ecclesia, sub qua fideles, vt membra continentur; Forma est S. Euangelium; Efficiens regni Christi est ipse Christus, qui legem Euãgelicam dedit, & Ecclesiam edificauit; Regnum Christi sine hac obseruantia vanum, & otiosum est.

Ad hanc obseruantiam maxime pertinet magnificus, & publicus cultus Dei; ad illam omnes virtutes, & omnia opera bona pertinent.

Alia plura videantur in Doctrina Catholica.

Nunc examinemus probationes Catholicorum, & hæreticorum.

Experiẽtia. Catholici affirmant, hanc obseruãtiã esse necessariam in regno Christi, ideo in populo fideli magnificum, & publicum Dei cultum, & omnia opera virtutum esse continuo exercenda.

Sensus. Hæretici negant hanc obseruantiam, publicum

Dei

Dei cultum, operum necessitatem.

Catholici suam affirmationem omnibus modis probant.

Prima probatio est per sensum, qui apertissime videt, Ecclesiam Catholicam Romanam toto suo posse promouere in toto mundo, & in omnibus hominibus, & in infidelibus, & hæreticis; In omnibus fidelibus; sed potissimam in iustis; In populo, & in Clero; in laicis, & religiosis, magnificum Dei cultũ & omnia opera virtutum. Sensus Conc. Tr. vbi de Ref

Hic sensus videt, vbique terrarum leges, & iura obseruari; maritos præcipere vxoribus; Patres filijs; Dominos seruis; Principes vasallis; Prælatos subditis, Et omnia confundi, vbi legum obseruantia abest. Experientia

Vos hic plura considerate, ego breuitati studebo.

Secunda probatio est per euidentiam intellectus; Hic apertissime uidet, quod in omni humana societate bene constituta præcepta, & leges maiorum obseruari, & omnia confundi si illa desit; leges humanæ, & iura obseruantur: Ita lex naturalis; Lex vetus, lex noua, & lex non est lex, si non obligat ad obseruantiam: & non apponit premia, & pœnas: Si lex, & præcepta hominum obseruantur, cur non magis leges, & præcepta Dei? Ad quid datur lex, si illius obseruantia non est necessaria? Omnis lex populis tria præscribit, nempe finem, media, & bonum vsum mediorum; sed hoc est frustra, si obligatio hoc obseruandi necessaria non sit: Omnis habens potestatem in subditos sua lege, & pręcepto potest illos ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligare: Videt intellectus finem regni Christi esse gloriam Dei, & vitam æternam hominis, Ideo operatio finalis illi fini proportionata est necessaria: Magnificus Dei cultus est actio ad gloriam Dei ordinata: Exercitatio in omni Arist. Polit. Vsus communis. Cõc. sess. 6 cap. 7.

opere

opere bono est medium ad vitam æternam promouendam: Lex Dei dicta & vtranque operationem ordinare, & regulare; Hæc ad quid, si opera, si diuinæ legis obseruantia non est necessaria? Regnum Dei debet esse otiosum; sine virtute; sine operibus: sine cultu Dei; sine obedientia; & absque diuinarum legũ obseruantia? Hæc, & alia plurima videt intellectus sequi impossibilia, hæc absurdissima, si dicta obseruãtia negata sit: Videt omnibus modis illius necessitatem posse demonstratiue probari: Ideo per euidentiam intellectus probationes Catholicorum certissimæ sunt.

Sess. 6. ca. 1 Do. ca. l. 6

Conc. Tri. de Refor.

Tertia Probatio est per dictum, & factum Ecclesię Catholicę, & primitiuæ, & per secula præcedentia, & Ecclesia Catholica Romana huius seculi, quæ necessitatem huius obseruantiæ non solum semper docuit, & docet, sed etiam toto suo posse promouet, & filios suos ad illã impellit. Hæc ordinat omnia, quæ ad magnificum Dei cultum pertinent, actiones, rit⁹, cęremonias, Dies festos, ieiunia, templa, loca, Ecclesias, altaria, vasa, vestes, ministros, libros, præcepta, aliaque multa: Hæc insignem in omni genere virtutũ promouet exercitationem; in laicis, & religiosis, in Clero, & in populo; Et nullam partem anni, nullũ tẽpus, nullam hebdomadam, nullam demum diẽ, vel horam vacuam relinquit, in qua de exercitatione virtutum aliquam specialem rationem non constituat. Ad hoc Missale, Breuiarium, Rituale, & Pontificale ordinata sunt.

Præcepta Ecclesiæ.

Breuiariũ, Missale, Rituale.

Sess. 6. can. 20.

Ergo tum Ius naturale, tum Synagoga, tum Ecclesia, & dicto, & facto hoc docet, & tandem Concil. Trid. ita esse de fide determinauit.

Scriptura.

Quarta probatio est ex Scriptura, quæ plurimis in locis, non dico implicite, sed explicite hoc affirmat: S. Paulus ait. Vt abundetis in omni opere bono. S. Iacobus ait. Fides siue operibus mortua est; Christus dixit;

xit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit; Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, Dixit, Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis: Dixit in die iudicij rationem esse reddendam de omni verbo otioso, & de operum omissione: Idem alibi sæpius.

Ecce probatio Catholicorum vndequaq; cōpleta est: nempe per euidentiam sensus, & intellectus, Per dictum Dei, & Ecclesię, per lumen naturale, & super naturale, ideo certissima probatio erit.

Examinem⁹ modo ineptā probationē hęreticorū

Primo, Ipsi negant sensum, & intellectū, dicētes, volumus solam Scripturā, ergo à regno Christi excluditis cognitionē naturalē, & lumē naturale? ergo nō licet cōsiderare, quid factū sit in statu naturę, in lege Scripta, in Ecclesia primitiua; Et in regno Christi ꝑ secula, quę prætertita sunt? ergo vos non probatis vestram negationē per euidentiā sensus, & intellect⁹.

Secundo, Non probant suam negationem per dictum, & factum Ecclesię: quia solum ex Scriptura probationem admittūt; Quod si dicant, probabim⁹ negationē dicto, & facto Ecclesię nostræ: Ostenditur nihil probare, Primo quia non oēs hęretici conueniunt, in hac negatione: Secundo quia ad probandā negatiuam opus est probare, quod res nullibi sit; affirmatiuam autem sufficit probare, quod alicubi sit: Tertio, quia adhoc vt probatio ex dicto, & facto Ecclesię certa sit, opus est probare, quod illud dictum, & factum non solum nunc, sed antea per cuncta secula semper fuerit in Ecclesia, hoc autem hæretici facere non possunt, quia illorum dicta, & facta noua sunt: Quarto, Quia manifeste apparet, quod illorū Ecclesia falsa sit: Ideo dictū illius nihil probabit.

Tertio. Existimant se probare per Scripturam, Sed illorum probatio ob plures causas absurda nimis est: Primo quia nullibi, in

in Scriptura hęc negatiua, Obseruantia diuinæ legis non est ad salutem necessaria, reperitur. Sicut opposita affirmatiua sæpius ab illa expresse proposita est. Secundo, quia illorum probatio fit per modum deductionis, & consequentiæ; qui modus à multis hæreticis videtur non admittis, vel saltem minus habet certam probationem, quam locus Scripturę, qui expressus sit. Tertio, Quia illa loca Scripturæ sunt communia: Quarto, Quia consequentia non est legitima, & ab Ecclesia non est approbata: Quinto, Quia conclusioni ab illis locis deductæ, expresse repugnant loca propria Scripturæ.

Et quod ita sit manifeste probatur.

Prima probatio est ex illo loco Scripturæ: Vbi Spiritus, ibi libertas: Hinc deducunt libertatem conscientiæ, & pessime; quia simul stant; Libertas, & obligatio cōscientiæ: Filij enim, & subditi regibus liberi sunt, & tamen obligationem conscientiæ habent, vt illorum legibus, & preceptis obediant, & ita esse Scriptura sæpius expresse docet, veluti, Filij obedite parentibus.

Secunda probatio est ex quodam loco Scripturę mendoso, & corrupto, vbi videtur dici, quod sola fides sit ad salutem necessaria: Vnde deducunt, sed male, quod opera necessaria non sint: Primo enim dicitur, Quod ille locus mēdosus est. Secundo. Dato etiā sed non concesso, quod ita sit, negatur consequentia: Cum enim fides alia sit viua, & cum operibus, vt ait S. Iacobus, alia mortua, & sine operibus; non sequitur consequentia, quod opera non sint necessaria: Non sequitur etiam, quia ipsamet fides docet operū necessitatem, ideo sufficit, si fiat, quod fides docet.

Tertia probatio est ex quodam loco S. Pauli, vbi ait. Iustus, & spiritualis non est sub lege, vel lex illi apposita non est: Vnde colligunt, Iustum non teneri

ad

ad obseruandam legem: Quæ consequētia mala est; Si enim ille est iustus, qui facit opera à lege præcepta, & non facit prohibita; Ille peccator, qui omittit præcepta, & prohibita facit: Vtique iustus, qui ex animo, & voluntarie facit opera legis, aliquo modo dicitur operari ex seipso, & non tantum ex necessitate legis. Iuxta illud, non veni vocare iustos, sed peccatores ad pęnitentiam: Quia ex seipsis bona operantur.

Has, & similes probationes hæretici ex Scriptura deducunt, quæ nihil concludunt, vt dictum est: Et est nimis absurdum, quod huic deductioni tantum tribuant, vt conclusioni sic deductæ magis credant, quam locis Scripturæ, qui expresse contrarium dicunt. Et quia hæretici hoc sæpe faciunt, valde expedit hoc notare, quia sic facilius dictarum probationum falsitas manifestatur.

CAP. XIII.

Examinantur probationes de Sacrificio Missæ, & de Sacerdotio, & de alijs veritatibus reuelatis.

PRobationes de Sacerdotio, & de Sacrificio Missæ in Doctrina Catholica satis distincte habitæ sunt, nunc summatim aliquid dicetur.

Catholici ergo de dictis faciunt certas probationes.

Primo per sensum, qui apertissime intuetur, dicta in Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana vere, & realiter, vbique locorum dari; ideo per ipsum euidēter probatur, Catholicos affirmare esse, quod est.

Secun-

Ar. 7. Pol. c. Secundo per euidentiam intellectus, qui aperte cognoscit; quod in omni regno, etiam humano, & terreno, omnino datur Sacrificium, & Sacerdotium; & habere primarium locú in illo; Ita ait Aristoteles in Politicis; quanto magis in Regno Christi?

Tertio per dictum, factum, vsum, Consuetudinẽ Ecclesiæ Catholicæ, quæ cognoscit, credit, docet, operatur, quod dictum est.

Quarto, Per vnanimem consensum Sanctorum Patrum, & per Concilia Generalia.

Quinto, Per diuinam Traditionem per cuncta secula deriuatam.

Sexto, Per plura loca Sacræ Scripturæ, vt in doctrina Catholica dictum, & explicatum est: Et verba Scripturæ clara, & iuxta sensum Catholicæ Ecclesiæ explicata sunt.

Istæ sunt probationes Catholicorum de sua affirmatiua.

Hæretici de sua negatiua nullam omnino faciunt certam probationem.

Non per sensum, qui contrarium apertissime docet.

Non per intellectum, eadem ratione.

Idem est de Ecclesia; De fide; & Doctrina illius: Idem de Concilijs Generalibus; & de vnanimi consensu Sanctorum Patrum.

Idem de Traditione, & verbo Dei non Scripto, quod hæretici negant.

De Sacra Scriptura certum est, quod Catholici habent plura loca in illa expresse proponentia affirmatiuam de Eucharistia; de Sacrificio Missæ; de Sacerdotio: Et hoc tam in veteri, quam in nouo Testamẽto: Hæretici vero nullum habent locum Scripturæ, in quo possint suam negatiuam fundare; quia nullibi in Scriptura reperitur hæc negatiua: In regno Christi non datur Sacrificium; non Sacerdotium; nõ Eucha-

ri-

ristia: Simplex vero illorum negatio nihil probat; Alioquin, cum insipiens dicat; Non est Deus; illius simplex negatio probabit, non esse Deum.

Catholici etiam loca Scripturę ab ipsis allata, iuxta verum sensum Catholicæ Ecclesiæ, interpretātur: Hæretici vero contra illam hoc faciunt, & inter se valde discordes sunt.

Ioannes. Hæc, quæ modo dicta sunt locū habēt in omnibus veritatibus à Deo reuelatis; Et hæc erit vera praxis ad omnes veritates Euangelicas comprobādas, & ad omnes hæreses confutandas: Ideo mihi videtur temp⁹ adesse, vt huic praxi finem imponam⁹.

Lauretus. Placet, vt Praxi imposito fine ad alia trāseamus, à te enim omnia recte & conclusa, & explicata, atque probata sunt. & ego plene de veritate & certitudine doctrinę Catholicorum edoctus, atque persuasus sum.

Claudius; Idem dico, quod Lauretus. Sed desidero vt sicut in hac distinctione fusius veritatē doctrine Catholicorum explicasti; Idem etiam in sequenti distinctione de falsitate doctrine hereticorum efficias.

Lauretus, hoc mihi quoque valde gratum erit.

Ioannes. Efficiam, sed aliqua iam dicta repetere opus erit.

Claudius. Lauretus recte dixit. Opportunam, & vtilem repetitionem, seu applicationem, qualis est ista, non esse reprehendendam, & tibi significamus quod gratissima erit, & de illa tibi gratias agemus.

DIST.

DIST. V.

DE PRAXI

Ad quædam falsa hæreticorum fundamenta, & sophistica argumenta dissoluenda.

CLAVDIVS. Hæretici conantur toto suo posse destruere certitudinem doctrinæ Catholicorum; & suas hæreses confirmare: Ideo quædam falsa proponunt fundamenta, & quædam sophistica faciunt argumenta, ex quib. deducunt conclusiones, quæ videntur doctrinæ suæ fauere, & Catholicæ repugnare; rogo te, vt in particulari doceas nos, quomodo possimus dicta principia, & argumenta dissoluere, & confutare.

Ioannes. Paratus sum facere quod vultis: Tu Claudi propone, quæ dixisti, & ego illa confutare studebo.

Claudius. Proponam aliqua magis principalia, quæ licet ab omnibus non affirmentur, tamen multi in illis videntur conuenire, Concordia enim doctrinæ in hæreticis nullo modo est expectanda.

CAP.

CAP. I.

Proponuntur quædam falsa principia hæreticorum.

CLaudius. Primum est; Vbi non est reuelatio, ibi non est fidei certitudo, quia fides est tantum de reuelatis à Deo.

Secundum, Omnis reuelatio facta est tẽpore Christi, & Apostolorum; & post illud tempus nulla de nouo fit reuelatio.

Tertium, Omnes veritates à Deo reuelatæ continẽtur in Scriptura; & quod non continetur in illa, non est à Deo reuelatum.

Quartum, Sola Scriptura est admittenda; & omnis nostra cognitio de rebus fidei in illa sola est collocanda, & illæ cognitiones sunt reijciendę, quę in illa fundatæ non sunt: Et aliqui dicunt; Si ex Scriptura fiant consequentiæ; posse non admitti; sed reprobari, & reijci.

Quintum, Spiritus sanctus per lumen fidei docet homines particulares omnes veritates reuelatas, & veram intelligentiam Scripturę, & hoc cum fidei certitudine facit.

Sextum, Homines particulares possunt, (aliqui dicunt,) esse iudices Sacrę Scripturę, & illam recte interpretari; Et ex illa excipere verã Summam S. Euangelij; & de hoc certitudinem fidei habere.

Septimum, Vnus locus Scripture per alium debet interpretari.

Octauum. Spiritus sanctus non est alligatus Ecclesiæ, sed spirat vbi vult; Et potest docere veritates fidei homines particulares immediate per seipsum, & non per Ecclesiam: Quibus etiam potest dare priui-

legium non errandi, & veram fidei certitudinem.

Claudius. Hæc propono fundamenta, ex quibus talem deducunt conclusionem, in qua tamen nō omnes, sed multi conueniunt.

Conclusio à multis hæreticis affirmata.

DE substantia Regni Christi, & S. Euangelij sūt ista: Primo Verbum Dei Scriptum: Secundo lumen, & Doctrina Spiritus sancti: Tertio Ministri Verbi Dei; Quarto Fides: Quinto Baptismus: Sexto libertas conscientię: Multi dicta affirmant.

Proponuntur quædam argumenta hæreticorum.

CLaudius. Per dicta principia hęretici conantur probare, quod Catholici de multis non habent fidei certitudinem: Et argumenta sunt ista.

Maior. Vbi est fidei certitudo, ibi necessario debet esse diuina reuelatio.

Minor. Sed, quod hic homo sit legitime baptizatus, vel sit Sacerdos, aut Summus Pontifex; Idem quod Concilium Tridentinum legitimum sit, non est facta à Deo reuelatio.

Conclusio. ergò de illis non potest haberi fidei certitudo.

Claudius. Scio, quod ex iam dictis potest accipi confutatio: Sed gratissimum erit, si à te illam distincte accipiamus: Hæretici enim dictis multum tribuunt.

Ioannes. Spero me apertissimę demonstraturum, quod dicta omnia falsa, & ex magna parte inter se pugnantia sint; & quod ex illis nulla potest fieri vera & certa deductio, atque probatio.

CAP.

CAP. II.

Examinatur primum dictum hæreticorum.

PRimum fundamentum est hoc; Vbi non est reuelatio, ibi non est fides: Et est verum, si recte intelligatur: Vt autem vera de illo habeatur intelligentia, termini dictę propositionis explicandi sunt. De hoc supra dist. 2.

Subiectum est reuelatio; quæ fit per verbũ Dei, & est actio Dei, qua aliquam reuelat veritatem; ideo reuelatio, & veritas reuelata distincta sunt: Reuelatio enim cito transit; Veritas reuelata in æternum manet: Hæc veritas potest reuelari duobus modis, primo explicite; Secundo implicite, & virtualiter, Reuelatio explicita est illa, quæ Verbo Dei expresse significatur: Veluti Abraam genuit Isaac; Implicita est illa, quæ ab explicita deriuatur: Veluti, si genuit Isaac; ergo filius Abrahæ est: Ita si est filius, ergo hæres.

Vtraque reuelatio est causa fidei, & determinat obiectum illius. Ibidem.

Alius terminus est fides; qui sic debet explicari: Aliud est cognitio, aliud fides: Omnis enim fides est cognitio, sed non omnis cognitio est fides: Cognitio enim naturalis habita per sensum, vel per intellectũ non est fides, Et causa illius nõ est reuelatio: Et tamẽ hæc naturalis cognitio in regno Christi necessaria est, & adiuuat fidem, vt iam probatum fuit: Sæpe etiam quis cognoscit veritatem reuelatam, sed non credit illi; Ideo cognitio, & fides etiam in supernatu turalibus distinguuntur. Experiẽtia.

Sola reuelatio non est causa completa Euangelicæ

cognitionis; tum quia dicta cognitio in multis eget lumine naturali, vt perficiatur: Tum quia Spiritus sanctus docet omnem veritatem absque noua reuelatione: Tum quia cognitio practica dirigens Euãgelicã obseruantiam, veluti quod hæc aqua sit naturalis; vel quod hic homo sit legitime baptizatus; non eget speciali reuelatione; quia veritates à Deo reuelatæ ordinarie sunt generales, ex quibus postea lumine naturali particulares sunt deriuatæ. Ideo primum dictũ iuxta dicta est intelligendum; Et si secus intelligatur verum non est. Fides enim semper est de reuelatis, sed reuelatio præterita est, fides autem vere, & realiter est in tempore presenti. Vnde sensus primi dicti ita est intelligendus. Vbi non est veritas tempore Christi reuelata, ibi modo non est fides. Quod si vna præmissa contineat veritatem reuelatam tempore Christi; & alia dicat actionem, vel rem ab hominibus factam, aut à natura; Ex vtraque fiet certa probatio de fide, vt supra dictum est; quia in dicta probatione vere vna præmissa est veritas de fide reuelata, à qua conclusio vere, & formaliter deducta est.

Conc. Tri. sess. 4. ca. 1. Cate. ar. 9. num. 17.

CAP. III.

Examinatur secundum dictum.

Con. & Cathc. ibid.

SEcundum dictum est: Omnis reuelatio facta est tempore Christi, & Apostolorum: Et est verum, sed ab hæreticis male applicatum. Aliud est enim reuelatio, aliud veritas reuelata; Aliud cognitio veritatis reuelatæ: Reuelatio facta est tempore Christi de necessitate Baptismi; Sed cognitio huius veritatis quotidie in Ecclesiæ fit; Et sola reuelatio facta à Christo non est causa completa huius cognitionis, licet sit causa veritatis reuelatæ: No-

Nostra autem cognitio fit à Spiritu sancto omnem veritatem docente: Et practica cognitio de materia, & forma, & ministro, & fine Baptismi in particulari consideratis fit ab intellectu, & à sensu de illis naturali lumine veritatem cognoscente.

Reuelatio ergo antiqua est, sed cognitio veritatis reuelatæ de nouo fit: Item ex veritatibus iam reuelatis aliæ plurimæ, potissimum particulares, de nouo deducuntur: Veluti an hic sit legitime baptizatus; an sit legitimus Pontifex; an sit legitimum Concilium;& similia: Ideo non procedit consequentia; Non fit de nouo reuelatio; ergo non fit de nouo certa de fide cognitio: Si enim hæc noua fidei cognitio non datur, quare ergo hæretici de Luthero, & Caluino nouas admittunt cognitiones; nouam fidem; nouam doctrinam? ergo potest haberi de nouo certa cognitio à veritatibus fidei deriuata, quod hic homo sit legitime baptizatus, sit Sacerdos, & quod Cōcilium Tridentinum legitimum sit. Ecce hæretici sibiipsis contrariantur, quia facta, & dicta ipsorum contraria sunt. In allato enim dicto negant de nouo dari certam de fide cognitionem, & tamen ipsi plurimas, illasque nouas de fide afferunt, & affirmant propositiones. Omnis ergo reuelatio facta est tempore Christi, sed veritates reuelate in cunctis seculis manent, & continuo in hominibus à Spiritu sancto, & ab Ecclesia noua de illis cognitio fit, & talis cognitio, quæ fidei certitudinem habet; & omnes hæretici talem de nouo cognitionem se profitentur habere. Ergo hoc dictum non bene ab hæreticis est affirmatum.

Cō. & Ca. ibidem.

CAP. IV.

Examinatur tertium dictum, & quartum.

Do.Cal.l.2. TErtium dictum est tale: Omnes veritates à Deo reuelatæ continentur in Scriptura: Conceditur plurimas veritates reuelatas contineri in Scriptura; Sed negatur omnes contineri, vt probatum est de verbo Dei non scripto, & de Traditione: Conceditur etiam in Scriptura aliquas veritates contineri explicite, & alias implicite, quia ab illis possunt deriuari.

Falsum est ergo hoc principium sic generaliter pronunciatum.

In quarto dicto fit applicatio tertij, & in vtroque est error.

Hoc quartum dictum quatuor habet particulas; Prima est hæc; Sola Scriptura est admittenda: falsa: Quia datur verbum Dei non Scriptum: Datur res ab illo significata: Datur regnum Dei: Datur Christus, Spiritus sanctus, Ecclesia, Euangelium, Apostoli, Baptismus: Scriptura enim significat ista, sed ipsa non sunt Scriptura: ergo in Regno Christi aliquid præter Scripturam necesse est dari: Amplius in dicto regno sunt plurima entia naturalia, quæ non pertinent ad doctrinam reuelatam, & præcipue entia particularia, vt hæc aqua, hic homo, Lutherus, Caluinus, Petrus: ergo hæc particula non est vera.

Secunda particula est: Omnis nostra cognitio à sola Scriptura est accipienda; Falsa: quia aliquæ nostræ cognitiones accipiuntur à verbo Dei non Scripto, à Traditione, ab Ecclesia, à lumine naturali, à

sen-

ſenſu,& ab intellectu, & iam probatum eſt: Amplius ſi eſt verum, ergo Spiritus ſanctus non docebit omnem veritatem: ergo cognitio ab illo non eſt accipienda: ergo Nec Catholici ab Eccleſia, nec hæretici à Luthero, & Caluino, & à ſuis miniſtris Euangelicam cognitionem accipere debent: Ideo ſibijpſis contradicunt.

Tertia eſt. Cognitiones ſunt reijciendæ, quæ à Scriptura non ſunt deriuatæ: Falſa: vt clare patet ex iam dictis: Contradicit etiam ipſis hæreticis: Dicant enim ex quo loco Scripturæ deriuant, quod Lutherus, & Caluinus ſint à Deo illuminati: & quod hæc aqua, qua vtuntur in Baptizando, ſit naturalis; Et quod hic homo ſit legitime baptizatus, & habeat veram fidem: Et quod miniſtri verbi Dei, qui illos docent, veri, & legitimi ſint.

Hoc igitur principium falſum eſt, quia plurimæ cognitiones de regno Dei à lumine naturali, à ſenſu, & ab intellectu ſunt accipiendæ; Et Spiritus ſanctus ſemper de nouo docet omnes iam reuelatas veritates.

Quarta particula eſt. Deductiones, & conſequentię ex Scriptura reijci poſſunt: Falſum, vt multis modis diſtinctione ſecũda probatum eſt. Ipſamet enim Scriptura, & ipſi hæretici ſæpiſſime illas faciunt Et omnes ſapientes illis vtuntur, & ſine conſequentijs homo non poteſt eſſe rationalis, ideſt tranſire à re nota ad rem ignotam. ergo Hoc dictum falſum.

K 4 CAP.

CAP. V.

Examinatur quintum dictum.

QVintum dictum est: Spiritus sanct' docet homines particulares certitudine fidei veram intelligentiam Scripturæ, & omnes Euangelicas veritates: Hoc dictum verum de Ecclesia, cui Deus dat perfectissime Euangelicam cognitionem: Sed falsum est de singulis fidelibus, vt multis modis alibi probatum est: Multi enim etiam fideles multa ignorant, & in multis errant, vt sensui notum est. Multi etiam falso scripturam interpretantur: Et singulis fidelibus Spiritus sanctus non dat priuilegium non errandi: Quod si infundit lumen fidei, & fidem, item gratiam; vsum postea, & fidei, & luminis, & gratiæ ita tribuit particularibus, vt permittat illis posse errare tunc, cum fidem Ecclesiæ non sequuntur.

In hoc principio hæretici non recte distinguentes absurda dicunt. Si enim sola scriptura, & sola reuelatio est completa causa Euangelicæ cognitionis; ergo Spiritus sanctus non est causa illius: Et si Spiritus sanctus est completa causa dictæ cognitionis; ergo otiosa est Dei reuelatio, & Scriptura; quia solus Spiritus Sanctus omnia docet: Quod si ita est; Vnde fit, quod tanta sit ignorantia in multis; tanta contrarietas in varijs Sectis hæreticorum? Ad quid opus est, vt hæretici constituant ministros verbi Dei? Nunquid ministri perficient opus Spiritus sancti? Et si hæretici dicunt; Spiritum sanctum per ministros docere media,

dia,

diate fideles ? cur certum , & verum non erit dictum Catholicorum , quod hoc facit mediante Ecclesia , quæ est columna , & firmamentum veritatis ? Demum hoc dictum apertissime affirmat traditionem diuinam , quæ à Catholicis affirmatur: Hæc enim Traditio omnino nihil est aliud , quam cognitio Euangelicarum veritatum intime in Ecclesia , & in cordibus eorum , qui veram fidem profitentur , à Spiritu sancto successiue transmissa , & conseruata , sine vllo errore , & cum maxima certitudine in Ecclesia . Ecce hæretici , quod vno modo negant , non aduertentes alio affirmant , & sibimetipsis contrarij sunt. Sess.4. c.1.

CAP. VI.

Examinatur sextum dictum , & octauum.

SExtum dictum est : Singuli fideles possunt esse iudices Sacræ Scripturæ ; & illam interpretari ; Et ex illa complete colligere Euangelicam Summam : In hoc dicto mihi videtur posse dici , hæreticos insanire . Esse enim iudicem verborum Dei , & significationis , ac rei significatæ illorum , est esse iudicem Dei, & per consequens esse supra Deum : Et quis potest absque diuino priuilegio certo cognoscere , & iudicare secretas cogitationes , & intentiones Dei loquentis ? Nunquid iudicium hominis priuati erit certa regula ad Sacram Scripturam interpretandam ? Est contra legem naturæ; Contra ius gentium ; Contra vsum , & consuetudinem om-

A. 1 in Pol. nium regnorum, & Prouinciarum, & gentium, & nationum; vt quilibet de populo sit iudex legum conditarum, & sit iudex verborum, quæ à rege prolata sunt. In omni societate bene ordinata datur pars gubernans, & pars gubernata; & ad gubernantem spectat iura, & leges determinare, & declarare; Ita pater familias in domo; rector in ciuitate; Rex in regno: Ita fuit in veteri testamento, & in nouo: Demum supra quam dici potest hoc dictum irrationabile est, & Scripturæ contrarium; quæ Ecclesiam affirmat esse columnam, & firmamentum veritatis: Afferam autem hic aliquas rationes ad probandum, hoc dictum falsissimum esse.

Vel homines possunt esse iudices Scripturæ ex natura, vel ex priuilegio: Est impossibile ex natura; ergo si hoc est, erit ex priuilegio; Hoc priuilegium Deum posse, cui vult, dare, certum est: Dedit enim Apostolis: Dat illud Romano Pontifici, & Ecclesiæ, vt Catholici affirmant: Quæritur modo, Vtrum Deus det hoc priuilegium omnibus; an aliquibus tantum; an vero nullis: Si nullis; ergo falsum est dictum; ergo non erit certitudo fidei, & certa intelligentia scripturarum in Ecclesia; quod absurdissimum est; Si omnibus; ergo datur etiam infidelibus: Et si dicatur, omnibus datur in Christum credentibus; ergo datur omnibus Catholicis, Lutheranis, Caluinistis, Arrianis, Pelagianis, quod est impossibile; quia contraria loquuntur: Si Caluinistæ dicant, datur omnibus Caluinistis, ita aliæ Sectæ hæreticorum; gratis, & sine fundamento dictum erit, & probabitur per sensum esse falsum; quia in qualibet Secta hæreticorum plurimi errant, & aliqui ab vna Secta transeunt ad aliam, vel Catholicam fidem recipiunt: Vnde nullo modo dici potest, quod hoc priuilegium omnibus vel Catholicis, vel Lutheranis, vel Caluinistis datum sit. Ideo tertium membrum

brum diuisionis sequetur, quod solummodo aliquibus detur. Nunc quæritur an habeatur certitudo fidei, quod hoc priuilegium datum sit huic, vel illi, an non: si dicatur Non; ergo in regno Christi non erit certitudo de vera intelligentia Scripturarũ, quod est omnino tollere fidei certitudinem: si dicatur, datur hæc certitudo; Quæritur, in quo fundetur hæc certitudo; & necesse erit dicere; fundari in scriptura alicui priuilegium non errandi, & infallibilem assistentiam Spiritus sancti promittente. Et tunc opus erit considerare, cuinam Scriptura dicta promittat: Nunc quæso attendite: Hæretici, quid dicent de Luthero, & Caluino, & de alijs suæ Sectæ? Vbi inuenient locum Scripturę, qui illis in particulari dicta promittat? Equidem impossibile st inuenire: Nos autem Catholici afferemus loca Scripturę dicta Ecclesiæ, & Rom. Pontifici promittentia: Ideo hęretici in hoc maxime errant.

Alia est ratio; Fideles particulares vel possunt errare in interpretanda Scriptura, vel non: Si non possunt errare; ergo omnes vere, & certo, & fideliter illam interpretantur; & nullus errat, non Arrius, non Pelagius, non Caluinus, non Lutherus, non Catholici, & demum nullus: At hoc est falsissimum quia interpretationes sunt multæ, & inter se contrariæ, & ideo aliquæ falsæ erunt: Et Scriptura ita esse docet: Et hæretici vnius sectæ dicunt, Catholicos, & hæreticos alterius Sectæ in interpretanda Scriptura errare: ergo fideles particulares possunt errare: ergo iudicium illorum non erit certum, sed dubium. Fides autem certissima esse debet: ergo hoc dictum destruit omnem fidei certitudinem.

Amplius, Euangelium est vnum, & fides est vna; Sed, si quilibet potest interpretari Scripturam, & ex illa excipere propria authoritate Euangelicam summam; Sequetur, tot esse summas, quot homi-

nes

nes sunt: Et singulos propriam fidem sibi fingere posse; Quod in hæreticis fit.

Et ex his probatur falsitas octaui dicti asserentis, quod fideles particulares non tenentur sequi fidē Catholicæ Ecclesiæ; Si enim sola Ecclesia habet in interpretanda Scriptura, &, in deriuanda ex illa veram fidem, & completam summam S. Euangelij, priuilegium non errandi; sequitur, quod si fideles volunt accipere certam cognitionem, debent accipere illam ab Ecclesia. Et de hoc supra dictum est. ergo singuli fideles non sunt iudices Scripturæ, & illorum iudicium non potest esse certitudinis fundamentum.

Quod si hæretici dicant; Spiritus sanctus non est alligatus Ecclesiæ, ita vt non possit sine illa, immediate, & cum priuilegio non errandi, docere veritates reuelatas etiam homines particulares, vt fecit Apostolis: Respondebitur: Illum aliquo modo esse ex promissione Christi obligatum ad semper assistendum Ecclesiæ, ad docendam illam omnem veritatem; quia Christus ita dixit, & promisit; Non sequitur tamen ex hoc, quod non possit, cum vult, etiam immediate docere aliquos fideles Euangelicas veritates; sed hoc fiet extraordinarie, quia modus ordinarius est, vt doceat homines particulares per Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis: Quod si Lutherani dicant, ergo potuit docere Lutherum, & idem dicant alij. Responsio erit. Spiritus Sanctus poterat docere Arrium, Pelagium, & alios hæreticos, Sed non sequitur, ergo docuit illos. Consequentia enim à possibili ad factum esse, ait Aristoteles, Sophistica est.

In l. Elēch. Et ex hoc hæreticorum falso fundamento plurima falsa, & absurda sequuntur.

CAP.

CAP. VII.

Examinatur septimum dictum.

HOC dictum est tale: Vnus locus Scripturæ per alium debet interpretari: Et de illo quatuor dico: Primo est bonũ, si quis illo bene vtatur; Secundo Non est regula certa; Tertio non est regula completa; Quarto Hæretici illa male vtuntur: Explicantur.

Est bona regula, quia liber librum aperit, bene intelligenti.

Nõ est certa regula; quia qui potest errare in intelligendo vno loco Scripturæ, potest etiam errare in intelligentia alterius, & multi hęretici, vt Arrius, & alij regula hac male usi sint.

Non est completa; quia ad certam, & veram Scripturæ intelligentiam obtinendam, alia multa necessaria sunt; nempe, Lumen Spiritus sancti; Priuilegium non errandi; Iudicium Ecclesiæ; Lumen naturale bene applicatum; Cognitio sensus; Traditio, & obseruatio eorum, quæ à verbo Dei significata sunt, & in vsu Ecclesiæ semper fuerunt: A re enim significata, de qua per sensum habetur certa cognitio, apertissime, & dici potest demonstratiue, significatio verbi Dei probari potest.

Quod hæretici huius temporis male vtantur hac regula sic declaratur: Illa verba; Hoc est corpus meum; caro mea; sanguis meus; sæpius in Scriptura repetita sunt: Et tamen, quia bis, vel ter in Scripra accipitur, Est, pro, Apparet, aliqui dicunt, absque vllo penitus fundamento, quod ita hic accipiatur.

Vbi vero Scriptura ait; Iustus ex fide viuit, non

non attendentes alia plurima loca Scripturæ, qui de operum necessitate loquuntur, dicunt solam fidem sufficere ad salutem: Idem fit, ex illo loco Scripturæ; Vbi spiritus, ibi libertas; quasi quod filij, qui liberi sunt, non teneantur obedire parentibus.

Idem est in illo loco; Nolite vocari magistri, &c. Alia enim loca Scripturæ, in quibus de Episcopis, de magistratibus, de parentibus, & alijs sermo est, non attendentes, negant omnes magistratus, & Episcopos, & illorum authoritatem. Idem in alijs.

Hoc igitur dictum est verum; Sed facit contra hæreticos: Quia si dicant, hic locus Scripturæ est bene interpretatus, quia per alium locum Scripturæ probatum est; dicetur posse esse falsum, quia non omnis probatio per Scripturam vera est, nam & Arrius per Scripturam suam hæresim probabat, & potest esse, quod quis male plura loca Scripturæ interpretetur.

CAP. VIII.

Examinatur Conclusio ex dictis principijs deriuata.

IOannes. Ex dictis principijs, vt dixisti Claudie, heretici deducunt hanc conclusionem; De substantia S. Euangelij sunt, Scriptura, Spiritus sanctus, Ministri verbi Dei, Fides, Baptismus, Libertas conscientiæ. Alia fere omnia negant: Quæ conclusio supra quam dici potest est falsa, & indigna hominibus rationem habentibus: Et quod sit falsa, probatur ex falsitate iam probata principiorum: Nunc, quod sit absurdissima, ostendetur.

Sciendum ergo, quod doctrina de aliqua re potest

test dari affirmatiua, & negatiua: veluti de homine potest doceri, quod non sit Deus, non angelus, non cęlum, non ignis, non equus; Item quod sit substantia, habeat corpus, animam, intellectum, & alia: Doctrina negatiua docet, quid res non sit; Affirmatiua docet, quid res sit: Hæc affirmatiua vere, & proprie doctrina est; & debet docere nomen, diffinitionem, quatuor causas, existentiam, relationes, proprietates, operationes, & partes rei, demum omnia, quæ rei per se conueniunt. Dist.3.ca.

Illud autem, de quo danda est cognitio, est regnũ Christi; Ideo doctrina debet esse affirmatiua non negatiua; quia quærimus, quænam illi per se conueniant: Catholici autem omnia de illo, quæ regno conueniunt, affirmant; Hæretici omnia, quæ regno conueniunt, de regno Christi negant. Et de illo affirmant tantum illa, quæ scholæ tribuuntur. Ideo si vera est hæreticorum iam allata conclusio, Regnũ Christi non est regnum, sed schola; & probatur.

Regnum necessario requirit gubernationem, magistratus, leges, legum obseruantiam, pręmium, pœnam, Sacrificium, Sacerdotium, Cultum Dei, & alia huiusmodi, vt patet ex testamento veteri, & nouo, & ex lege naturali; Item ex communi iudicio omnium nationum, vt Aristoteles explicat in Politicis. Sed hæretici ista omnia negant de regno Christi, ergo docent non esse regnum, quia docent non habere illa; quę regno conueniunt. Pol.l.1.c.2.

Schola dicit collectionem aliquorum, qui aliquã artem, vel scientiam docent, & addiscunt, & alicui libro student, & nihil pretendunt, nisi studere illi libro, & obtinere cognitionem eorum, quæ in illo cõtenta sunt: In schola adest magister, cuius officium non est gubernare, sed docere; Et hęc omnia hęretici affirmant de suis Sectis.

Sa-

Sacra enim Scriptura, vt ipsi aiunt, est liber, cui studendum est: Spiritus sanctus est magister, qui docet; Ministri verbi Dei sunt visibiles magistri, quorum officium est, non gubernare, sed docere; Fides dicit solam cognitionem eorum, quæ in hoc libro contenta sunt: Baptismus est quoddam signum his discipulis datum: Libertas conscientiæ tollit leges, magistratus, opera; atque ita omnẽ occupationem Christianorum in solo studio scripturæ positam dicunt: Hoc autem est esse Scholam non regnum. Ecce quam absurda hæc conclusio sit; & contraria Scripturæ, quæ apertissime regnum Christi uere esse regnum affirmat.

Nunc singulas partes huius conclusionis examinemus.

Sacra Scriptura non est Regnum Dei, non materia, non forma, non existentia, non relatio, non proprietas, non operatio illius; sed est verbum significans, quæ dicta sunt: Hæc Scriptuta est de substantia regni Christi; quia est regula fidei: In regno autem Christi datur non solum Scriptura, sed etiam res ab illa significata: Datur etiam Verbũ Dei non Scriptum; Datur lex, & cognitio, & lumen naturale; quia sine istis regnum Christi esse non potest: Regnum Christi non ordinatur tantum ad cognitionem, & ad studium Scripturæ, sed multo magis ordinatur ad operationem, & ad cultum Dei, seu ad obseruantiam diuinæ legis: Ideo hæretici in hoc grauissime errant.

Secunda res est doctrina, & lumen Spiritus sancti: Et hoc verum est dari in regno Christi: Et est causa certitudinis fidei: Sed hoc lumen plene datur Ecclesiæ, & cum priuilegio non errandi; Particularibus non ita datur, quia Spiritus sanctus per Ecclesiam docet fideles particulares; Præter hoc lumen dat etiam gratias gratis datas, & gratiam iustificantem

tem ad operandum adiuuantem: Præter lumē super naturale datur etiam naturale tū sensus, tum intellectus, & pertinet ad regnum Dei; ergo Spiritus sāctꝰ dat non solum lumen fidei ad cognitionem, sed etiā gratiam ad operationē. Ideo aliquid aliud in regno Christi datur, præter doctrinam Spiritus sancti.

Hic notādum, quod intima doctrina Spiritꝰ sācti de regno Dei, De S. Euangelio, & de re à verbo Dei significata, veluti de Sacramentis, & magistratibus, & de completa summa S. Euangelii, nihil est aliud, quā diuina traditio successiue per cuncta secula jam dicta docens in Ecclesia; Ideo hæretici aliquo modo coguntur, vel negare intimam Spiritus sancti Doctrinam, vel diuinam, & intimam affirmare traditionē: Catholici enim per diuinam Traditionē intelligūt doctrinam à Spiritu sancto de veritatibus reuelatis, quæ à seculo in seculum transmissa sit. Veluti quod Spiritus sanctus in omni seculo doceat Ecclesiam, quod septem sint Sacramenta, & idem de alijs veritatibus. Et hoc est maxime notandum, ad Traditiones diuinas comprobandas.

Tertia res sūt ministri: Circa quos plurimę sequunt absurditates; Et prima est circa nomē: Quare nō dicūtur Apostoli, Episcopi, Sacerdotes, Doctores, magistratus? Cur non dicuntur ministri Christi, sed verbi Dei? Alia.n. nomina in Scriptura magis sunt vsitata: Secunda est de illorum institutione, an à Christo sint instituti, & quando, & quomodo. De Apostolis.n. & discipulis, & Sacerdotibus institutio clara est: De his non est certa institutio: Tertia est de potestate; An habeant potestatem gubernatiuam, & præceptiuam, qualem habuerunt Apostoli, Episcopi, & ij, qui alijs præpositi erant: An vero habeant tantum authoritatem docendi: ita vt non ministri sed magistri sint dicendi. Et tunc Ecclesia non erit regnum, sed schola: Quarta, An habeant

priuilegium non errandi, & ex quo loco Scripturæ probetur ita esse: Quinto, An in Ecclesia sint necessarij: Si enim quilibet fidelis est iudex Scripturæ, & potest illam intelligere, & interpretari, ad quid op⁹ est ministris? Si etiam Spiritus sanctus immediate docet singulos fideles omnem veritatem, ad quid opus est illis? Vel enim Spiritus sanctus immediate, vel mediate docet fideles; Si immediate, ergo ministri otiosi sunt: Si mediantibus ministris, ergo falsum principium iam positum, & nunc Catholici bene dicunt affirmantes, Spiritum sanctum mediate per Ecclesiam fideles docere; Amplius si necessarij sunt ministri, multo magis Sacerdotes, Episcopi, Præpositi, & alij magistratus necessarij erunt: Has, & alias hæc conclusio difficultates habet.

Quartum est. Fides: Hæc non est Scriptura, non regnum Dei, non Doctrina reuelata, non Euangelium, non Ecclesia; sed est actio quædam, quæ in regno Christi est exercenda: Hæc fides dicit cognitionem de Scriptura, de Euangelio, de Ecclesia, de regno Dei, de Legibus, de Sacramentis, de magistratibus, & alijs: Hæc cognitio omnino est ordinata ad cõpletã obseruãtiã S. Euãgelij; iuxta illud Christi, docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Ideo in regno Christi fides non est sine operibus, sed cum illis, Et Euangelium duo continet. Primo veritates fidei. Secundo morum disciplinã. Et in hac re hæretici à toto cœlo aberrant opera negantes: Si enim conferant loca Scripturæ, in quibus de fide, & de operibus sermo est, clarissimum erit, fidem ab operibus non esse separandam: Verum & ipsi hæretici sibijpsis contradicunt: Dicunt enim malos fideles non esse in Ecclesia, & malos magistratus amittere potestatem; Et Romanum Pontificem ob multa peccata, & mala opera non dari, vel esse Antichristum. Quod si sola fides sufficit ad

salu-

ſalutem, & eſt de ſubſtantia regni Chriſti, quomodo valent dictæ conſequentiæ, quæ ab operibus ſunt de ſumptæ? Amplius ſi ſola fides eſt de ſubſtantia Euāgelij; ergo regnum Chriſti eſt ſchola, non regnum: Adhuc gratia in regno Chriſti eſt neceſſaria; Et ſicut ſola cognitio medicinæ, & ſola fides, quam habet infirmus medico, non ſanat, ita ſola fides in Chriſtum nō perducit ad vitā æternā. Fides ergo in regno Chriſti eſt neceſſaria, ſed alia multa in illo neceſſaria sūt.

Quintum eſt: Baptiſmus; Et conueniunt ſimul Catholici, & hæretici dari: Sed Catholici aiunt, ſex alia eſſe Sacramenta, vt ſuo loco probatum eſt: Ideo de hoc plura non dicentur.

Sextum eſt, libertas conſcientiæ: & oſtenditur eſſe abſurdiſſimum, ita vt poſſit dici implicare contradictionem, quod regnum Chriſti ſit regnum, & quod in illo ſit libertas conſcientiæ: Si enim de eſſentia regni eſt regia gubernatio; Omnis autem gubernatio fit per leges, & magiſtrat⁹ aliquē finē, & per aliquā operationē obtinendū proponētes, & ad illū dirigentes; Leges autem, quæ conſcientiam non obligant, & magiſtratus, quibus non eſt obligatio obediendi, vani, & otioſi ſunt; Libertas autem conſcientiæ, prout ab hæreticis accipitur, omnem negat obligationem, & ſubiectionem, & obedientiam erga leges, & magiſtratus; omnino videtur implicare contradictionem, quod vbi eſt regnum, ibi ſit libertas conſcientiæ; Confirmatur: Duplex eſt libertas; Vna interna, quæ dicitur conſcientiæ, & hæc hæretici dicunt non datur, quia omnem tollūt internam obligationem ad leges, & magiſtratus: Alia externa: quæ poteſt dici legalis, vel moralis; & hæc admittit obligationem internam, ſed negat externam ſeruitutem, & hoc modo vxor eſt libera, ſed obligata marito; Ita filius eſt liber; Ita vaſalli principū ſunt liberi, & tamen obligationem conſcientiæ ha-

bent erga suos superiores: Obligatio enim conscientiæ nō potest seruitus strictè accepta appellari: Quod ergo in vno regno sit libertas externa, quæ dicitur Ciuilis; Ciues enim liberi sunt; per sensum omnibus notum est; Quod autem in regno sit libertas conscientiæ, & potissimum in regno Christi manifestè implicat contradictionem; quia dicit esse regnum, & non esse regnum; & de hac libertate non loquitur Scriptura, cum ait, Vbi spiritus, ibi libertas: Et iustos habere libertatem filiorum Dei: Libertas enim filiorum non eximit illos ab obedientia, & subiectione & obligatione erga parentes: Filij enim non sunt serui, sed liberi: Et iusti non sunt captiui diaboli, sed filij Dei adoptiui; & tamen obligationem conscientiæ habent, vt teneantur obedire parētibus, et Deo: Hęc igitur vox; Libertas conscientiæ, si strictè accipiatur pro eo, quod est conscientiam nullam habere obligationem; in proposito nostro duas dicit apertissimas contradictiones, & prima est in ipsamet conscientia: Quia de essentia conscientiæ est interna obligatio ad leges, ad præcepta, ad magistratus, & superiores: Et vbi non est obligatio, ibi non est conscientia: Conscientia enim sic debet diffiniri: Est stimulus internus impellens hominem, vt satisfaciat obligationibus suis; Ideo implicat, dari conscientiam, & nullam dari in homine obligationem. Omnis autē obligatio vel à lege, seu præcepto, vel ab aliquo superiori deriuatur: Vnde oritur alia contradictio; Quod vbi datur dominium superioris, à quo possit in subditos fieri præceptum obligatiuum, ibi, si fiat præceptum, necessario sequitur obligatio, & conscientia. In omni autem dominio, & regno fiunt præcepta, & leges, & in illo sunt magistratus gubernantes, ideo implicat dari regnum, & non dari conscientiam, & obligationes illius: Confirmatur; Vel hæretici concedunt, Deum habere domi-

nium

nium in regno suo, vel non: Si non; ergo non est rex, & non habet regnum: Si habet, ergo per leges, & præcepta potest obligare subditos ad aliquid agendum; ergo in hoc regno dātur obligationes, ad quas obseruandas conscientia impellere debet: ergo impossibile est, quod in hoc regno sit libertas conscientiæ.

Dicta igitur conclusio sapit dementiam; quia omnia diuina, & humana perturbat; Sibiipsi contrariatur; Omnia confundit; Nihil certi dicit; Chimeras fingit; Per se nota sensui, & lumini naturali negat: Ideo vt talis ab omnibus est reijcienda.

Idem est de conclusione negatiua: In qua hæretici omnia negant, quæ regno Christi conueniunt: Vt leges, Magistratus, Sacrificium, Sacerdotium, opera, obligationes, Sacramenta, cultum Dei publicum, & alia, quæ lumine naturali, & fidei certissima sunt: Ideo clarum est, quod fundamenta hæreticorum sunt falsa; & quod super illis edificium Chimericum, & ruinosum confingunt; Et quod conclusio ab illis posita, falsissima est.

CAP. IX.

Soluuntur argumenta iam allata.

CLaudius. Desidero, vt claram de argumentis iam allatis afferas solutionem. Hæretici enim opinantur esse insolubilia, & firmiter illis assentiuntur.

Ioannes. Tradam clarissimam: Reuerendissimus enim Franciscus Sale Episcopus Geneuæ, abhinc tribus annis, à me, vt hæc soluerem argumenta, requisiuit; ideo de hoc diu cogitaui; & de hac re cum dicto Episcopo, & cum alijs doctissimis viris longam habui discussionem;

qui omnes iudicant, illa argumenta inepta, & Sophistica esse, vt modo clare ostendam; Sed vt aliquæ fiant iam dictorum repetitiones concedendum est, quia sic doctrina clarior erit.

n. 2. *Proponitur argumentum.*

FInis hæreticorum est probare, quod Catholici nõ habent certitudinem fidei de sua doctrina circa multa particularia; veluti, quod hic homo particularis sit legitime baptizatus; sit legitime Sacerdos; Episcopus; Summus Pontifex; & quod Concil. Trid. legitimum sit: Idem est; An hæc Ecclesia sit vera; & an hic textus biblicus verus sit: Idem in alijs omnibus, quæ sunt singularia. Et formant tale argumentum.

Maior. Vbi est certitudo fidei, ibi necessario est diuina reuelatio; quia omnis certitudo fidei in diuina reuelatione fundata est.

Minor. Sed de his singularibus, baptizato, Sacerdote, Episcopo, Pontifice, Concilio Tridentino, Textu Biblico, A Deo non est facta reuelatio, quia de illis in Scriptura nihil dictum est.

Conclusio. ergo De illis certitudo fidei haberi non potest: ergo Catholici non habent certitudinem fidei, quod hic homo sit legitime baptizatus; sit legitim⁹ Sacerdos; Summus Pontifex; Conc. Trid. legitimum sit; & quod hæc Ecclesia, & hic Textus Biblicus verus sit.

n. 3. *Ostenditur quod finis argumenti malitiosus sit.*

QVod hæc argumentatio habeat finem Sophisticum, & deceptiuum, ita probatur: Cum enim hoc argumentum, non minus contra

tra hæreticos, quam contra Catholicos directe concludat; vtuntur has fallacia; quod nihil dicentes de eo, prout ipsis contrariatur; totum illud, ac si solis Catholicis contrarietur, nobis opponunt. Si enim Hæretici prætendunt se habere certitudinem fidei de multis particularibus, quorum non est facta à Deo reuelatio; veluti, quod hic homo sit legitime baptizatus, vt Lutherus, Caluinus, & sic de singulis, Ita quod Doctrina Caluiniana, vel Lutherana sit vera; Ita quod sua Ecclesia particularis vera sit: Ita quod Textus Biblicus, quo ipsi vtuntur, sit ver⁹; Et, quod illorũ Scripturæ interpretatio vera sit: Si inquam argumentum ipsorum ita procedit contra ipsos sicut contra Catholicos, quomodo volunt argumentum procedere solummodo contra nos? Si enim quæram; Habetis certitudinem fidei quod Lutherus sit Baptizatus? & quod Textus Biblicus, quo vos vtimini, sit verus? Si dicant non: arguam, ergo Vestra doctrina nihil certitudinis habet: Si dicant sic: Contra; de hoc non est facta à Deo reuelatio, ergo certitudinem fidei non habetis.

n. 4. *Declaratur magna æquiuocatio in maiori.*

NOtandum, quod hæretici in maiori magnam faciunt confusionem, & æquiuocationem. Cum enim supra probatum sit, quod duplex est Dei reuelatio, vna explicita, & actualis; alia implicita, & virtualis; hæretici hoc non considerantes, omnia confundunt in maiori; Si enim maior ita proponatur: Vbi est fidei certitudo, ibi necessario debet esse reuelatio Dei vel explicita, vel implicita; vt vera est concedenda. Si vero ita proposita sit; Vbi est fidei certitudo, ibi necessario explicita reuelatio est affirmanda; omnino vt falsa negari debet; quia certitudo fidei per implicitam reuelationem, & vir-

tualem haberi potest, vt probatum fuit, Et ipsimet hæretici in fauorem suæ doctrinæ ita esse affirmant.

n. 5. *De probatione ex vna præmissa certa de fide, & alia certa lumine naturali.*

QVod dictum fuit maxime corroboratur, per ea quæ in Dist. 2. de probatione mixta ex lumine fidei, & naturali dicta sunt: Deus .n. explicite reuelando, quod omnis aqua naturalis est legitima materia Baptismi, implicite reuelat, quod aqua hæc, vel illa naturalis, vt putei, fontis, talis materia sit. Cum .n. Deꝰ reuelat explicite, q̃d hæc cõtradictoria affirmatiua, Omnis aqua naturalis &c. Sit vera; omnino implicite reuelat, q̃d cõtradictoria negatiua, nẽpe; Hęc aqua est naturalis, & nõ est legitima materia baptismi, falsa sit; q̃a si hęc est vera, omnino alia ẽ falsa; Sed Deus explicite dicit, illã esse verã, ergo virtualiter, & implicite dicit, hãc esse falsã: Idẽ in alijs. Si .n. Deus expresse dicit: Qui non credit damnabitur: ergo implicite reuelat, quod Iudeus, Turca, Infidelis, & hæreticus damnabuntur: Explicatur magis.

Reuelatio explicita est illa, quæ, non per consequentiam, sed primo, & directe reuelat aliquam veritatem: Veluti Christus est Deꝰ: Virtualis est illa, quæ non primo, & directe, sed per consequẽtiam aliquid reuelat: Veluti si Christus est Deus, ergo habet diuinam essentiam.

Explicita est duplex; Vna generalis; veluti, qui nõ credit damnabitur, & hæc virtualiter reuelat omnes propositiones sub illa cõtentas; veluti Iudeus nõ saluatur, quia non credit, idem in alijs.

Alia particularis; Veluti, Simõ magus offerẽdo pecuniã fuit simoniacus: Itẽ Apostoli celebrarũt primũ Cõciliũ. Itẽ Christus iuit ad nuptias. Et ex hac fit virtualis reuelatio, quod simonia graue peccatũ sit; &

quod

quod in regno Christi recte sit Conciliū generale; & quod erit legitimum, si ad pręscriptum Apostolici factum sit; Et quod nubere licitum est. Idem in alijs.

Ex dictis apparet, quod explicita reuelatio est veluti mediū ad probandam implicitā reuelationē, & fit per iam dictam probationem sic: Christus est De⁹ ergo habet diuinam essentiam; Concilium Trid. celebratum fuit ad pręscriptum Concilij Apostolici; ergo legitimum: Qui dat tēporale pro spirituali, facit, quod fecit Simō magus; ergo peccat, & simoniā committit: Christus iuit ad nuptias, ergo nubere licitum est. Hæretici ergo in hac argumentatione valde errant, & decipiuntur.

n. 6. *Examinatur minor allati argumenti.*

Minor deberet esse generalis sic: Sed post Christū in regno ipsi⁹ de particularibus, veluti hoc Baptismo, hoc Sacerodte, hoc Episcopo, hoc Sūmo Pōt., hoc furto, hac eleemosina, hoc ieiunio, hoc Cōcilio, hoc Textu Biblico, hac Doctrina, & fide, nulla fit de nouo explicita reuelatio, sed neque implicita: Et tunc sequeretur conclusio: ergo de dictis non potest haberi fidei certitudo: ergo neque hęretici, neque Catholici de dictis particularibus habent fidei certitudinem; vnde sequetur, quod in Regno Christi omnia sint plena incertitudine, & confusione, & nullus possit esse certus de his, quę pertinent ad suā salutē, vt de Baptismo, & alijs: Ideo aparet, qđ argumentatio hęreticorum falsa, & sophistica sit.

Minor ergo hęreticorum, quæ est hęc: Sed de hoc Baptismo; De hoc Pont.; de hoc textu Biblico: nō est facta à Deo reuelatio, nec explicita, nec virtualis; omnino falsa, & maxime absurda est; & ipsis hæreticis contraria; quia concludit illos non habere fidei certitudinem de suo Baptismo, & Textu

Bibli-

Biblico; & alijs particularibus; ideo clare, & plene solutum est argamentum. Et illa minor falsa est.

n.7. *Proponitur Catholicorum de dictis argumentatio.*

CAtholici admodum recte de dictis suam proponunt argumentationem sic.

Maior. Vbi est diuina reuelatio, siue explicita, siue implicita; ibi omnino potest esse fidei certitudo; quæ in dicta reuelatione fundata est.

Minor. Sed de hoc Baptismo, de hoc Textu Biblico, de hoc Summo Pont., & de hoc Concilio, & alijs facta est à Deo virtualis reuelatio.

Conclusio. ergo de illis, & de alijs particularibus potest haberi fidei certitudo.

Ecce omnia recte disposita sunt.

n. 8. *Datur regula generalis ad omnem certitudinem fidei discernendam.*

PRima regula generalissima est hæc: Vbi est diuina reuelatio, siue explicita, siue implicita; ibi omnino potest esse fidei certitudo; & è contra, vbi non est illa, nec ista: Et in hoc Hæretici, & Catholici possunt conuenire.

Secũda Regula: Explicita reuelatio in Verbo Dei scripto, & non scripto contenta est.

1. post. c. 1. & 2. Tertia implicita reuelatio semper in explicita virtualiter cõtinetur: Ita in naturalibus, ait Arist., Principia prima, & per se nota virtualiter continent conclusiones, quę ab illis deriuari per consequentiam possunt.

Sup. dist. 1. Quarta, Veritates non explicite, sed implicite reuelatæ ordinarie ex veritatibus explicite reuelatis,

tis, per illam argumentationem, in qua vna præmisſa eſt certa de fide, & alia certa lumine naturali, cum certitudine fidei poſſunt deduci, & deriuari.

Quinta, Hæc deriuatio, cum fit ab hominibus particularibus, non habet completam fidei certitudinem; quia in illa facienda poſſunt errare; Cum vero fit ab Eccleſia, quæ in illa non poteſt errare, completā omnino habet fidei certitudinem: Ideo, qui in hac facienda deriuatione iudicium ſequitur Eccleſiæ, conclusionem deriuatam de fide determinantis, veram de dictis particularibus fidei certitudinem habebit.

Sexta, Probatum eſt ſupra, quod finis doctrinæ reuelatæ eſt tradere de regno Chriſti, & de omnibus, quæ ſpectant ad illud, veram, certam, completam, & diſtinctam cognitionem, primo Eccleſiæ, deinde per illam hominibus particularibus; & quod Chriſtus de ſuo regno tradidit explicitas veritates: Spiritus ſanctus autem docet Eccleſiam, & per illam homines particulares, omnes veritates explicitas, & implicitas: Et quod aliud eſt veritas reuelata, aliud cognitio veritatis reuelatæ, & alia multa probata ſunt, ex quibus hæc argumenta clare ſoluta erunt.

Solutio enim in hoc poſita eſt; De omni veritate à Deo quocunque modo, ſiue explicite, ſiue implicite reuelata, Spiritus ſanctus certā de fide tradit Eccleſiæ cognitionem; & per Eccleſiam hominibus particularibus: Ideo cum homines particulares, non proprium iudicium, ſed Eccleſiæ ſequuntur in cognitione eorum, quæ ad regnum Chriſti ſpectant, per Eccleſiam certam de fide obtinent cognitionem.

Nunc argumenta ab hæreticis allata ſoluta erunt.

n.9.

n.9. Proponitur, & soluitur generale argumentum hæreticorum.

GEneraleargumentum est tale: Deus non reuelauit, quod Ecclesia Catholica Romana huius tẽporis, hic, & nunc considerata, sit vera. Secũdo, Quod Textus Biblicus ab illa approbatus sit verus; Tertio, Quod Euangelium ab illa propositum sit verũ. Quarto, Quod intelligentia Scripturę ab illa data sit vera; Idem de doctrina, & fide illius; Idem de vero Sacerdotio, & Sacrifitio, & Sacramentis; Idem quod hic homo singularis sit legitime Baptizatus, sit legitim⁹ Sacerdos, Episcopus, Summus Pontifex, & quod Cõcilium Tridentinum legitimum sit; Idem in alijs: ergo Catholici de dictis non possunt habere fidei cognitionem.

Prima responsio: Si antecedens loquatur tantũ de explicita reuelatione; vt sic dicam, transeat; sed negatur consequentia; quia per implicitam reuelationem de dictis, potest haberi certa cognitio: Si autem intelligatur antecedens de vtraque reuelatione, negatur, quia falsum est de dictis non dari uirtualem, & implicitam reuelationem: Cum .n. Deus explicite reuelauerit, quod Ecclesia sit columna, & firmamẽtũ veritatis, virtualiter, & implicite reuelatur, quod omnia ab illa de fide determinata vera sint.

Secunda, Est argumentum magis cõtra hæreticos: Deus enim nec explicite, nec implicite reuelauit; qđ Lutherus, Caluin⁹ sit legitime baptizat⁹; sit legitim⁹ doctor; quod illorum fides, doctrina, Ecclesia, Text⁹ Biblicus, & Scripturæ interpretatio sit vera; Idem de alijs: ergo de dictis non habent fidei certitudinem.

Tertia, Si hæc argumentatio recte concludit; omnis certitudo fidei, & ab Ecclesia, & à singulis fidelibus, totaliter sublata erit; quia ex facto argumento; si quis

ſi quis debet eſſe certus, quod fides ſua in ſingulari hic, & nunc conſiderata vera ſit; neceſſe erit, quod à Deo hoc illi reuelatum ſit, & neceſſe eſt, quod aliquod medium ſenſibile faciat illum certum; quod talis reuelatio a Deo ſit. Sic reuelatio Chriſti per miracula eſt confirmata.

Quarta Deus expreſſe reuelat omne furtum, homicidium, adulterium, eſſe peccatum; de hoc autem, vel illo furto nihil expreſſe dicit; & tamen habetur certa de fide cognitio, quod hoc furtum peccatum ſit; & qui hoc negaret hæreticus eſſet: Ita Chriſtus dixit expreſſe; qui non crediderit, condemnabitur; & de hoc, vel illo infideli; nihil dixit; & tamen certum de fide eſt, quod hic, & ille infidelis, ſi ſic moritur, damnandus eſt: ergo datur implicita reuelatio. Idem eſt de opere meritorio, & de alijs multis.

n. 10. *Datur reſponſio ad propoſita particularia.*

NVnc in particulari de contentis in minore afferam ſolutionem.

De Textu Biblico ab Eccleſia in hoc ſeculo approbato, & hic, & nunc conſiderato; poteſt cōcedi, quod non eſt facta explicita reuelatio; Sed negatur, quod implicita facta non ſit; Deus enim explicite reuelauit, dari verum Textum Biblicum; & Spiritum ſanctum docere de illo, & de illius interpretatione Eccleſiam omnem veritatem; Et Eccleſiam eſſe columnam, & firmamentum veritatis: Idem eſt de Traditione, & verbo Dei non ſcripto.

Negatur non eſſe factam implicitā, &, vt ſic dicam, explicitam reuelationem, quod Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, vera ſit, vt probatum fuit.

Idem negatur de Sacrificio, & Sacerdotio, & de

de Sacerdotibus, atque Episcopis, & de Romano Pontifice; quia de illis tum explicita, tum virtualis reuelatio facta est; etiam vt hic, & nunc considerata sunt.

De Primatu Summi Pontificis multis in locis Sacra Scriptura facit explicitam reuelationem; ex qua per consequentiam, in hoc seculo multa de illo cum certitudine fidei deduci possunt.

De Concilio generali in Actibus Apostolorum facta est explicita reuelatio; ex qua, per consequentiā, in virtuali reuelatione fundatam, cum certitudine fidei probari potest, quod Concilium Nicenum, & Tridentinum legitima sint. Idem est: an hic, vel ille, sit legitime baptizatus, vel ordinatus.

Nunc magis distincte soluentur argumenta de Baptismo, de Romano Pontifice, & de Concilio Tridentino, quia de his præcipue dnbitatio facta est.

CAP. X.

Soluitur argumentum de incertitudine Baptismi.

HÆretici nituntur probare, quod nos Catholici non habemus certam de fide cognitionem, quod talis persona hic, & nūc considerata, Summus Pontifex sit, & duo faciunt argumenta, quæ ipsi iactant, esse insolubilia & falsa sunt.

Primum est hoc: Quod ita sit, non est facta à Deo reuelatio; & hoc iam solutum est.

Secundum est tale: Maior: Qui non habet certam de fide cognitiònem, quod hic homo, qui dicitur Summus Pontifex, sit legitime baptizatus, non potest habere certam de fide cognitionme, quod legitimus

timus

timus Pontifex sit; quia est impossibile, quod non Baptizatus Sacerdos, vel Summus Pontifex sit.

Minor: Sed est impossibile, quod Catholici possint habere certam de fide cognitionem, quod talis homo sit legitime Baptizat⁹; Primo quia de hoc à Deo non est facta reuelatio; & hoc iam est confutatum: Secundo quia non possunt habere certam cognitionē de intentione ministri baptizantis; quæ in Baptismo est necessaria, & hominibus ignota: Ergo &c. Et modo de hoc solutio tradenda est.

Solutio: Negatur vtraque præmissa, quia vtraque falsa est; & probatur.

Falsitas maioris ita declaratur; Aliud est, quod duę res, veluti A. & B. inter se habeant necessariam connexionem: Aliud, quod cognitio vnius dictam habeat cū cognitione alteri⁹ cōnexionē: Philosophi dicūt; Plurima sunt, quæ habēt inter se necessariā cōnexionē; vt rationale, & risibile; & tamē intellectus potest vnū cognoscere sine alio: iuxta illud; Abstrahētiū non est mendaciū: ergo dato, quod Baptismus, & Primatus S. Petri habeant, vt sic dicam, necessariam connexionem; nihilominus ego potero habere cognitionem de vno, & non de alio. Ita in pomo possum cognoscere colorem, & non odorem: Ita si Seius testator dicat, Gaium filium meum naturalem instituo hæredem; ego potero habere certam cognitionē quod sit hæres, non tamen, quod filius naturalis sit: Ita ego possum habere certam cognitionem, quod hic homo sit Summus Pontifex; quia de hoc Ecclesia certum mihi dat testimonium; De Baptismo autem non habebo, quia tale testimoniū mihi datū non est.

Maior ergo potest esse vera de re; sed non erit vera de cognitione.

Ad confirmationem respondetur: Concedatur, quod Primatus Summi Pontificis, secundum legem Dei ordinariam, cum Baptismo habeat necessariam

con-

connexionem, & quod illum supponit, non tamen sequitur, quod certa cognitio de Primatu necessario supponat certam cognitionem de Baptismo; Sufficit enim testimonium Ecclesiæ de Primatu: Quia illud est completa causa certitudinis.

Dicitur etiam, quod Deus, cum sibi placet, potest à lege ordinaria dispensare. Sæpe enim concedit, quod Baptismus, in uoto tantum, sufficiat ad saluté:

Et Christus ad perficiendum suum regnum potest supplere omnes hominum deffectus.

Demum si praxim consideremus potest dici, quod illà maior sit omnino irrationabilis: Dicere enim, quod quilibet fidelis, vt certam habeat cognitionem quod hic homo sit legitimus Pontifex; neglecto Ecclesiæ testimonio, debeat per maria, & per terras certam quærere cognitionem; quod legitime sit Baptizatus; & illa non obtenta, dubitare de illius potestate; est affirmare regnum Christi, esse deordinatum; & Christum stultum fuisse legislatorem.

n. 2. *Probatur falsitas minoris.*

NOn potest explicari, quantum hæc minor Christo, & regno illius iniuriosa sit: Dicere enim, quod Baptismus sit medium necessarium ad salutem, & quod homines non possint habere certam de illo legitime suscepto cognitioné, est aperte affirmare, quod omnia in regno Christi incerta, & inordinata sunt: Falsa ergo erit, Et ostenditur, quod probationes illius nihil concludunt.

Prima probatio est: De hoc Baptismo Deus nihil reuelauit: Negatur hoc antecedens, Deus enim de Baptismo, & de legitimo illius vsu in generali considerato, multa explicite reuelauit, ex quibus de Baptismo, & vsu, per consequentiam, & per implicitam reuelationem, potest certa deduci cognitio, an hic, vel

vel ille sit legitime Baptizatus: Et an debeat certo supponi, quod sit legitime baptizatus: Spiritus sanctus enim, cum priuilegio non errandi, docet, & dirigit Ecclesiam ad certo iudicandum, & determinandum, vbi; quando, & quomodo debeat certo supponi & affirmari, quod hic, vel ille sit legitime baptizat⁹; & qui sequitur hoc Ecclesiæ iudiciũ, certus erit, quod sua cognitio, & iudicũ vera sit, & quod in diuina reuelatione, primo explicita, postea Implicita, fũdata est.

Secunda probatio est talis. Non potest haberi certa cognitio de intentione baptizãtis: Est absurda, falsa, & indigna homine Christiano: Si.n. diceret, in aliquo casu potest esse, quod non habeatur certa cognitio, minus malum esset: sed absolute negare, nimis irrationabile est, vt modo ostendam.

n.3. *Doctrina de certa cognitione Baptismi in particulari considerata.*

HAnc rem aperte explicabo: Sciendum ergo, quod Christus, de Baptismo in generali considerato, multa explicite docuit, & reuelauit.

Primo docuit; Baptismum esse medium necessarium ad salutem; Item bonum vsum, idest Administrationem, & susceptionem illius: Secundo docuit, quod tria sunt de substantia illius; materia, forma, & intentio; & quod tunc Baptismus, & illius vsus legitimus est, cum hæc tria legitime, & recte accepta sunt: Tertio, Reuelauit, quod omnis aqua, non Artificialis, sed naturalis, quæcunque illa sit, est legitima materia illius. Quarto, S.Th. 3.p.
Quod hæc sit legitima forma: Ego te baptizo, q.44. ar.8.
&c.: Quinto Docuit, quod intentio in illo est tri- ad 2.
plex: Prima Christi principalis agentis: Secunda Conc. Tri.
Ecclesiæ principalis instrumẽti: Tertia Ministri bap sess.7. can.
tizantis, & baptizati suscipientis; & horum intentio 11. & 12.

debet esse faciendi, & recipiendi; quod facit, & intẽdit Christus, & Ecclesia: Ista omnia sunt de substãtia baptismi; & illis recte dispositis, Baptismus, & illius vsus legitimus erit. Hæc de Baptismo in generali à Christo sunt explicite reuelata.

In his veritatibus explicitis, & generalibus virtualiter continentur alię multę implicitæ, & particulares de hoc, vel illo baptismo, materia, & forma, & alijs: ab illis enim per consequentiam multa particularia deduci possunt.

Nunc quæritur, quomodo habeatur certa cognitio, quod hic particularis Baptismus legitimus sit; & hoc ex supradictis ita declaratur.

Aliud est veritas reuelata; Aliud cognitio veritatis reuelatæ: Christus docuit veritates reuelatas de Baptismo; Spiritus Sanctus Ecclesiam docet illas; Et primo per lumen fidei dat Ecclesiæ certissimam cognitionem de veritatibus à Christo explicite, & implicite reuelatis: Secundo dirigit Ecclesiam, vt per sensum, & lumen naturale obtineat certam cognitionem de omnibus, quæ à parte rei in Baptismo particulari circa materiam, formam, intentionem, & circumstantias contingunt: Tertio dat Ecclesiæ priuilegium non errandi, ad recte efficiendam probationem ex vna præmissa certa de fide, & alia certa lumine naturali, ex qua possit deduci certa de fide cognitio, quod hic Baptismus legitimus, & non legitimus sit: Quarto idem priuilegium dat Ecclesiæ, vt cognitionem iam a se habitam, sine errore, & cum fidei certitudine, hominibus tradat: Quinto Spiritus sanctus lumine fidei mouet corda fidelium, vt credant Ecclesiæ, & doctrinæ, quæ ab illa tradita est; & sic per Ecclesiam habent certitudinem fidei, quod hic Baptismus legitimus, & non legitimus sit: Et syllogismus ita fit.

Maior. Ille Baptismus, qui materiam, formam,

&

& intentionem à Christo determinatam, legitimam habet, legitimus est.

Minor. Sed Baptismus hic, & nunc collatus, dicta legitima habet: Et Ecclesia; quæ non errat, ita iudicat esse, & per Verbum Dei probat, quod ita sit.

Conclusio: ergo hic baptismus legitimus; & per Ecclesiam habetur certitudo, quod ita sit.

Ecce maior est certa de fide; minor fit certa per euidentiam sensus; & ex vtraque conclusio ab Ecclesia est deriuata.

Modo hæretici impugnant minorem factam dicentes; Ecclesia non potest per euidentiam sensus habere certam cognitionem de intentione ministri; quia occulta est; ergo de illa non potest haberi certa cognitio; & per consequens neque Baptismi.

Responsio est. Omnino falsa, & absurda est ista negatio; & illius falsitas tum lumine naturali, tum fidei probari potest: Sicut enim anima hominis est inuisibilis; & tamen per sensibiles effectus, & per corpus certissima de illa habetur cognitio; ita hominis voluntas, & intentio per exteriora inditia manifeste probari potest; quod ratione, experientia, & authoritate probatur.

Ratio est talis; Intentio est actio hominis ordinãs aliquam rem, vel operationem ad finem; qui finis sæpe extrinsecus est, & sensibus notus; Ita medicus per medicinam intendit sanitatem; & inimicus per venenum intendit mortem: Si ergo per sensum certum fiat, quod Titius Seio infirmo dat medicinam sanatiuam, & Gaius det eidem mortiferum venenum, ex tali opere certissima habebitur cognitio de intentione, & voluntate vtriusque; & Iudex Gaium, tanque de homicidio conuictum, morti tradet.

Cõfirmatur, multa sunt signa, & inditia externa, & sensibilia, per quæ demõstratiue res indiciata probari potest; veluti vrina, & pulsus dant inditium sanitatis, & iufirmitatis; & qui aperte persequitur aliquem, declarat se esse inimicum; & qui defendit, amicum, idem in alijs; ergo per inditia externa de interna intentione, & voluntate certa cognitio haberi potest.

Ab experientia probatio ita fit: Omne regnum bene ordinatum determinat aliquod medium sensibile; & quædam inditia sensibilia, per quæ homines possunt fieri certi de quibusdam dictis, & factis, & de intentione, atque voluntate aliorum; Et hoc negare est ab hominibus omne tollere commercium: Et hoc supra probatum est: Leges enim determinant, quomodo de voluntate testatorum; contrahentium; nubentium; & aliorum; certa cognitio habenda sit; veluti per testes, notarios, publicam scripturam, & alia; ergo hoc modo omnes homines affirmant, per inditia externa posse haberi certam cognitionem de interna intentione, & voluntate hominum particularium.

Ab authoritate ita probatur: Omnes sapientes, omnes populi, omnes legislatores, reges, iudices, ita affirmant: Sacra Scriptura ita docet: Christus enim dixit; A fructibus eorum cognoscetis eos: Dixit. In ore duorum, vel trium stat omne verbum: Qui seruat mandata mea, diligit me: De Simone mago, & Iuda, per signa èxterna cognitio, quod malæ essent voluntatis, habita est: Sanctitas Ioannis Baptistæ per signa externa omnib⁹ manifestata fuit. Alia multa breuitatis causa omittuntur.

Conclusio ergo erit, in regno Christi multis modis posse haberi certã cognitionem de hoc Baptismo particulari, quod legitimus sit; & quod recta fuerit ministri intentio. Si enim baptizans faciat in bapti-

zando quæ Ecclesia ordinauit, obseruando locum, tẽpus, modum, ritus, librũ, & faciat omnia, ab illa ordinata, quis audebit dicere, talem non habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia?

Demum cum ex vna parte, nullus est, qui dubitet, & opponat, quin Seius sit legitime baptizatus: Et baptizans nullum omnino dedit signum, & inditiũ de non recta sua intentione; Imo ex alia parte publica vox, & fama; publica Parochi scriptura; & plurima inditia sunt de legitimo Baptismo, & de recta ministri intentione; quare non debet pro certo supponi, quod legitime sit baptizatus?

Demum, supra quam dici potest, absurdissimum est, affirmare, quod Christus in regno suo instituerit Baptismum medium ad salutem necessariũ; & quod non dederit medium, per quod homines fierẽt certi de illo legitime suscepto, & non suscepto; Quod si Ecclesia est hoc medium, tandem sophistica hæreticorum argumenta euanescant.

n.4. *Proponitur, & soluitur quædam dubitatio circa iam dicta.*

AD magis dilucidandam hãc veritatem proponitur talis dubitatio.

Vtrum si baptizans, vel ex ignorantia, vel ex malitia non rectam habeat in baptizando intentionem, & hoc omnino ignoratur, quia nullum habetur inditiũ, posset supponi, qđ baptizatꝰ susceperit Baptismũ.

Pro solutione huius dubitationis doctrinam afferam S. Thomæ 3. p. q. 64. ar. 8.

Titulus est. Vtrum intentio ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti.

Secũdũ argumentũ est tale: Nõ potest homini esse nota intẽtio alterius; Si igitur intẽtio ministri requiratur ad perfectionẽ Sacramẽti, nõ posset homini ad

Sacramentum accedenti esse notum, quod Sacramẽtum accepisset; & ita non posset habere certitudinẽ salutis; præcipue cum quædam Sacramenta sint de necessitate salutis.

Solutio: dicendum, quod circa hoc est duplex opinio: Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in ministro; quæ si desit, non perficitur Sacramentum; sed hunc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedendi ad Sacramẽta) supplet Christus, qui interius baptizat: In adultis autem; qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, & deuotio: Sed hoc satis posset dici quantum ad vltimum effectum; qui est iustificatio à peccatis: sed quantum ad effectum, qui est res, & Sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur per deuotionem accedentis posse suppleri; quia character nunquam imprimitur nisi per Sacramentum. Et ideo alij melius dicunt; quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ cuius est minister: In verbis autem, quę profert exprimitur intentio Ecclesiæ; quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti; nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel suscipientis Sacramentum.

Gaietanus ibi ita explicat S. Thomam: Secundum legem Dei ordinariam intentio ministri, saltem virtualis, ad perfectionem Sacramenti necessaria est: Sed, si detur casus, quod absque culpa recipiẽtis Sacramentum, intentio ministri desit; tunc Deus dispensat à necessitate dictæ intentionis; & vult, quod sufficiat intentio Ecclesiæ; Et hæc dispensatio fit à Deo, non quia nolit intentionem ministri esse necessariã, sed quia vult, homines esse certos de medio necessario ad salutem.

Hinc soluta est proposita dubitatio: Cum enim Baptismus, & illius vsus sint medium necessarium

ad

ad salutem; Deus autem velit, quod de illo homines, non dubiam, sed certam habeant cognitionem, propter hanc causam, & non aliter, Deus vult dispẽsare, quod cum deficit necessaria ministri intentio, suppleat illa, quæ ab Ecclesia exhibita est: Ita cum quis habeat impedimenta, ne baptismum realiter accipiat, Deus ad viam salutis facilitandam, vult, quod Baptismus in voto sufficiat ad salutem.

4 Certitudo ergo de Baptismo habetur: Primo si nihil sit in contrarium: Secundo si per inditia externa probatum sit: Tertio per publicam vocem, & famam; Quarto per iudicium Ecclesiæ; Quinto quia, deficiente intentione ministri, supplet intentio Ecclesię.

CAP. XI.

Soluitur argumentum factum contra certitudinem Summi Pontificis.

Contra hanc certitudinem hæretici duo faciunt argumenta.

Primum est hoc. Catholici non possunt habere certitudinem fidei, quod illa persona, quæ dicitur Summus Pontifex, sit legitime baptizata, & cum recta intentione ministri.

Ad quod respondetur: Falsum esse, vt supra probatum est; & falsitas confirmatur: Ecclesia enim maximam adhibet diligentiam, vt dies, locus, minister, Patrini, nomen, cognomen, Parentes a Parocho in libro notata sint ad certam fidem de hoc faciẽdam: Et si in casu necessitatis; priuatim, & sine dictis sit baptizatus, magna adhibitur diligentia ad discer-

nendam, an materia, forma, & intentio legitima adhibita sint; Et si legitima fuerunt; ordinat, vt ritus, & alia ommissa adhibita, & in libro descripta sint.

Amplius, si quis ad Confirmationem, ad Tonsuram, ad ordines, etiam minores, sit promouendus, maxima fit inquisitio de Baptismo; & non fit promotio, nisi habita morali certitudine per inditia ab Ecclesia communi vsu approbata, quod legitime sit baptizatus.

Si contingat librum Baptismi deperditum esse; Sed est publica fama de Baptismo; & nihil habetur in oppositum; Et baptizatus dicit, se hoc audiuisse à parentibus; vel alijs; vel aliqui sunt testes de hoc; vel sunt alia inditia sufficientia; Ecclesia iudicat pro certo habendum esse, quod sit legitime baptizatus; Et per hoc iudicium Ecclesiæ, quæ est edocta à Spiritu sancto, & non potest errare, homines fiunt certi de veritate.

Adhuc est summe irrationabile cogitare, quod de persona, quæ coram vniuersa Ecclesia proponitur, vt fiat caput illius, possit ignorari, an sit baptizatus, & an sint aliqua inditia contrarium probantia; Et non est credibile, quod sit promotus ad ordines, & ad tot gradus, non habita de baptismo debita certitudine.

Amplius non potest credi, quod Deus permittat, non baptizatum fieri Summum Pontificem, & caput Ecclesiæ, & Vicarium Christi in regno ipsius tam bene ordinato.

Demum dato, sed non concesso, quod velit, aliquo occulto iudicio, hoc permittere, videtur dicendum, quod in tali casu, Deus in lege ordinaria dispensabit; supplendo defectui Baptismi, vel intentionis; efficiendo, quod talis non Baptizatus, vel sine intentione ministri; legitimus Ponti-

ti-

tiftexfit: Si enim Obediētia Summi Pontificis est medium necessarium ad salutem, & de tali medio homines debent fieri certi; Si etiam, ex promissione Christi, Spiritus sanctus docet Ecclesiam omnem veritatem,& non permittit illam in dictis errare; necessario iudicium Ecclesiæ debet cum veritate facti concordare; Si demum Christus dixit, oues veræ cognoscunt vocem veri Pastoris; Cum tota Ecclesia firmiter credat, hunc particularem hominem esse suum legitimum pastorem, necesse est dicere, vere à parte rei ita esse; siue sit baptizatus, siue non; Sed magis recte dicitur; Deum non permittere, quod non Baptizatus Pontifex fiat; & si fiat Pontifex, esse certissimum signum, quod baptizatus sit.

Secundum argumentum sæpius dictum est: Deus non reuelauit, quod hæc persona hic, & nunc Summus Pontifex sit: Et de hoc data est supra responsio; Sed ad clariorem doctrinam aliquid nunc dicetur.

Deus explicite reuelauit, quod Regnum Christi est verum regnum; ideo habet summam illius potestatem in singulari persona constitutam: Reuelauit,illam esse veram Ecclesiam, quæ in hoc Primatu fundata est: sola autem Ecclesia Romana,quæ, etiam dicitur Apostolica; in tali Primatu fundata est: Christus explicite reuelauit, quod aliud fuit Cathedra Moysis, aliud sedens in ea; Et quod Cathedra. & potestas semper manet; sedentes autem in ea continua successione mutantur; Vnde fit, quod sedes aliquando habet sedentem, aliquando est sine illo, & dicitur vacare; & ita fit in quolibet regno: Per sensum autem certissime cognoscitur, vt Christus supponebat, quando quis sedeat, vel non sedeat in sede Petri; & cum sedes

sedes non vacat; necessario habet sedentem; & hic sedens necessario est Summus Pontifex, vt Christus dixit de Scribis, & Phariseis; & hic sedens necessario est singularis persona hic, & nunc considerata, cũ proprio nomine, & cognomine & alijs circũstantijs: & Spiritus sanctus cũ priuilegio non errandi, docet Ecclesiã, vt ex his, quæ à Christo de hoc primatu expresse sunt reuelata, per consequentiã, & implicitam reuelationem, deducat ea, quæ spectant ad completum iudicium huius veritatis; & ipsa sine errore veritatem iam à se cognitam docet homines particulares; & qui sequuntur Ecclesiæ iudicium, & cognitionem, ex duplici capite certam de fide obtinent cognitionem.

Primum est: Quia Ecclesia à Spiritu sancto edocta ex veritatibus à Christo explicite, & implicite reuelatis, accipit cognitionem, & iuditium per argumentationem in lumine tum supernaturali, tum naturali fundatam; quod hæc persona particularis hic, & nunc considerata, verus, & legitimus Pontifex sit.

Secũdum est. Quia Christus explicite reuelauit, & promisit, quod Spiritus sanctus docebit, cũ certitudine fidei, hanc, & omnes alias veritates ad regnũ suũ pertinẽtes; & explicite reuelauit; quod Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis; ideo fides, doctrina, & iudicium illius de hac veritate, verum, & certum est: Et est medium sensibile, per quod homines particulares de his, & alijs veritatibus certissimi facti sunt. Argumenta igitur allata nihil concludunt.

CAP.

CAP. XII.

Soluitur argumentum factum contra Concilium Tridentinum.

ARgumentum est hoc? A Deo non est facta reuelatio, quod Concil. Tridentinum legitimum sit.

Solutio iam supra data est: Et nũc aliquid magis distincte dictum erit.

Negatur, quod de dicto Concilio reuelatio præcipue virtualis facta non sit: Deus enim explicite reuelauit in Actibus Apostolorum, in regno Christi recte haberi Concilia Generalia; Item quid sit generale Concilium; Quod legitimum: Quæ quatuor causæ illius: Item quod est optimum medium ad dubitationes, si q̃ circa veritates fidei, & disciplinã morũ ortæ sint determinandas: Item quod Concilium Generale recte sic diffinitur: Est generalis Congregatio Episcoporum facta ab habente authoritatem super illos, ordinata ad aliqua dubia circa veritates fidei, & morum disciplinam orta determinanda; Reuelauit, quod materia Concilij sunt Episcopi; Forma illa generalis collectio in Spiritu sancto facta: Efficiens Spiritus sanctus, & Summus Pontifex: Finis aliquod dubium circa veritates fidei, & morum disciplinam determinare: Reuelat, quod determinatio facta in illo, est tum à Concilio, tum à Spiritu sancto: Apostoli enim dixerunt visum est Spiritui sancto, & nobis: Hæc & similia sunt explicite reuelata.

In hac explicita Dei reuelatione virtualiter reuelatum est, quod hoc, vel illud Concilium; cui om-

nis

nia dicta conuenire per sensum euidens est, legitimū erit: Et probatio ita fit.

Maior. Concilium Generale ad præscriptū Apostolici celebratum legitimum est.

Minor. Sed Conc. Trid. est Concilium Generale, & ad præscriptum Apostolici celebratum.

Conclusio, ergo Concilium Tridentinum legitimum est.

Certitudo maioris habetur per explicitam, & implicitam Dei reuelationem.

Certitudo minoris habetur per euidentiam sensus & intellect⁹; qui apertissime intuentur, in Tridentino omnia reperiri, quæ de Apostolico narrata sunt. In hoc enim seculo Hæretici nouam doctrinam, & circa veritatem fidei, atque morum disciplinam, plurimos errores, & nouitates excitarunt; ideo finis ad Concilium Generale congregandum, verus, & realis erat: Materia est eadem cum Apostolico; quia omnes Episcopi sunt vocati. Forma est eadem nempe legitima collectio, & in Spiritu sancto Congregatio: Efficiens fuit Sūmus Pont., & Spirit⁹ sanctus: Et hæc per sēsū manifesta fiunt, ideo minor per euidentiam sensus cum certitudine sic probatur: Concilium Tridentinum habet, non dico numerice, sed specifice eundem finem, materiam, formam, & efficiens, quas habuit Concilium Apostolicum, vt probatum est; ergo ad præscriptum illius fuit celebratū ideo legitimum est.

Confirmatur: Tota Ecclesia Catholica à Spiritu sancto edocta hoc Conc. Trid. vt legitimum acceptat, & veneratur; ergo omnes fideles Catholici per iudicium, & factum Ecclesiæ habent certam de fide cognitionem, quod ita sit.

Ioannes. Ecce confutata sunt falsa principia, & conclusiones, & argumenta hæreticorum, ideo si placet ad alia transeamus.

Claudius. O quam magnum mihi afferunt lumen iam allatæ confutationes, & solutiones, & alia, quæ supra dicta sunt; Vere ex illis clare ostenditur, quod doctrina Catholicorum vera, & hæreticorum falsa est: Hæc Catholica doctrina plene adæquat meo intellectui, & in illa totaliter conquiesco.

Lauretus. Quod dixit Claudius, ego idem sentio: Doctrina Catholica sole clarior est. Illam toto corde accepto; & alios quoque illam docere intendo: Expecto, vt habeas tractationem de eo, quod ab initio a me propositum est.

DIST. VI.

DE PRAXI

Ad disputationem cum hæreticis tum voce, tum Scriptura recte instituendam.

LAVRETVS. Recte à te, ò Ioannes, omnia de probationibus veræ doctrinæ, & de confutatione falsæ proposita sunt; Nunc, obsecro te, vt Praxim explices ad disputationem cum hæreticis, tum voce, tum Scriptura recte instituendam.

Ioannes. Libenti animo hoc faciam: Ideo finis huius Distinctionis erit dirigere vos ad hanc disputationem recte exercendam; Et ipsamet Disputatio subiectum illius erit.

CAP. II.

De disputatione in genere considerata.

Experientia Logica.

DE hac, Nomen, Diffinitio, & quatuor causæ sunt explicandæ.

Hoc nomen, disputatio, idem significat quod disceptatio: Qui enim disputant, ali-

aliquo modo inter se disceptantur.

Sic potest diffiniri: Disputatio est congressus duorum, vel plurium, quorum vnus impugnat, alius defendit veritatem alicuius conclusionis: Vel sic; est disceptatio duorum de veritate, & falsitate alicuius conclusionis: In disputatione enim ordinarie vnus impugnat, & alius defendit aliquam propositam conclusionem. Vsus. Logica.

Causæ disputationis possunt tali ratione assignari.

Materia sunt conclusiones, de quibus habenda est disputatio. Ex Logica

Finis disputationis ordinarius, & verus, est inquisitio veritatis: Sed alij etiam possunt esse fines secundarij; veluti ingenij exercitatio; ostentatio; experimentum; propria gloria; aduersarij confusio, & similia; Disputantes enim ad varios fines suas possunt dirigere disputationes. Ibidem. Experiẽtia

Forma est ille congressus, qui fit inter impugnantes, & defendentes: Multi enim inter se aduersantes congressum faciunt; veluti fit in bello; in litibus; in contentionibus; sed finis illorum non est dilucidatio veritatis; & modus est diuersus; quia in disputatione vnus impugnat argumentis; alius responsionibus defendit. Idem.

Modus, & forma in disputando varius est: Disputatio enim aliquando fit voce; Aliquando Scriptura; Alia est publica, alia priuata: Item aliter à Rhetore, aliter à Philosopho fit: Item alia fit cum arte, alia sine arte: Illa fit cum arte, quæ vel à Rhetorica, vel à Logica formam, & regulam accipit disputandi: Illa fit sine arte, quæ neque à Logica, neque à Rhetorica regulata est. Experiẽtia Logica.

Efficiẽs disputationis, quoad exercitium actus, sũt disputantes; Logica, & Rethorica sunt efficiens formæ disputationis factæ cum arte; Illa vero, quę sine Logica. Rethorica

sine arte fit, certam regulam non habet complete determinatam, & varijs accidentibus exposita est.

Logica. Potest esse, quod vnus disputans habeat artem, alius non; Sed vterque deberet illam habere; quia sine arte recte fieri non potest.

CAP. II.
De Catholica disputatione.

Vsus. CAtholica disputatio dicitur illa, quam Catholicus cum hæretico habet.

Experiẽtia Sic potest diffiniri: Est congressus Catholici cum hæretico ad veritatem, & certitudinem Doctrinæ Catholicæ argumentis, & responsionibus dilucidãdam: Hæc enim disputatio modo quodam speciali habenda est.

Ex Logica Finis illius esse debet gloria Dei, & vtilitas proximorum: Item dilucidatio Catholicæ doctrinæ, & veritatis.

Actio finalis est defensio Catholicæ doctrinæ, & impugnatio hæreticalis.

Ex Logica Materia sunt conclusiones, quas Catholicus de doctrina Catholica; & hæreticus de hæretica disputandas proponit.

Ex logica, & Rethorica. Omnes sapientes. Forma est recta ratio ad conclusiones propositas defendendas, & impugnandas; quod argumentis, & responsionibus fieri debet: In quo autem posita sit hæc recta ratio infra dicendum est: Nunc sufficiat dicere, quod omnes sapientes, vnanimi consensu, dicunt, Logicam esse artem, per quam verum à falso; & certum ab incerto discerni potest: Rethorica autem non est, in completa ratione, talis ars: quia magis in ornato sermone; quam in clara veritate occupatur: Ideo forma, & ratio Catholicæ disputationis à logica est desumenda.

Hic

Hic notandum, quod qui ambulant in tenebris, & deffendunt falsitatem, debent odio habere lucē, ne p illā falsitas detecta sit: Ideo multi hæretici, cū magna astucia logicā nō admittūt; quia illis contraria est: Vnde fit, quod artem disputandi ignorantes, omnia confundunt: & modo huc, modo illuc discurrentes, student sæpe omnia replere clamoribus, & varijs, atque verbosis sermonibus, & orationibus; & nisi à Logicæ perito, intra cancellos disputandi contineantur, finis disputationis, qui est veritatis dilucidatio, non obtinebitur. Ideo maxime refert, vt hæc recta disputandi ratio tradita sit. Euangelis. Qui male agit odit lucem &c.

Efficiens disputationis Catholicę est Catholic⁹ ex vna parte; & hæreticus ex alia: Et vterq; debet habere artem disputandi; quia, sicut qui non habet artem recte scribendi, non potest recte scribere, ita qui non habet rectam rationem disputandi, non poterit recte disputare, & talis deberet se à disputando abstinere. Ex logica.

Hæc disputatio potest fieri tum voce, tum Scriptura, sed Scriptura melius fit. Sensus.

Catholicus, qui non est bene fundatus in Catholica doctrina, & non habet artem disputandi, deberet se abstinere à disputando. Ex logica.

Publica disputatio cum maxima consideratione habenda est. Expentia.

C A P. I V.

Proponitur Praxis, & recta ratio Catholicæ disputationis.

PRimo debet considerari, an expediat disputationem habere. Prudentia.

Secundo præparatio ad illam est adhibenda. Ratio.

N Ter-

Logica. Tertio, Conclusio, vel conclusiones tum à Catholico, tum ab hæretico proponendę.

Ex logica. Quarto, De suis Catholicus certas faciet probationes; & probabit, vel defendet, quod certæ sint, Doctrina enim fidei certitudinem magnam requirit.

Ita Arist. Quinto, Poterit etiam afferre Topicas, atque probabiles, & ostendere tales esse.

Ex logica. Sexto, Debet soluere omnia argumenta, quæ contra suas conclusiones, vel probationes facta sint.

Ex logica. Septimo, Debet impugnare conclusiones hæreticas, afferendo certas, & probabiles probationes, distinguendo, quænam tales sint.

Ex logica. Experiētia Octauo, Si hæreticus non habet artem disputandi, & ideo in argumentando, vel respondendo, velit transire ab vno ad aliud, seu ab vna conclusione ad aliam; Catholicus, iuxta artem, continebit illum in proposita materia; donec veritas plene sit dilucidata: Hic enim transitus quædam fuga est: & docebit illum, atque circunstantes de recta ratione disputandi.

Ibidem. 9. Quando hæreticus errat in principijs, & falsa supponit; paucis verbis detegendus, & confutandus est error illius; vt tum ipse, tum circunstantes intelligant, à falsis principijs probationes deductas esse.

Ethic. li. 1. cap. 8. 10. Catholicus maxime notabit illud dictum Aristotelis; Vero omnia consona sunt: A falso autem cito discrepat verum: Et in disputando valde obseruabit, vt omnia dicat inter se consonantia; & in dictis Hęretici notabit, an inter illa sit contradictio, & contrarietas: Hoc enim clarum est signum falsitatis.

Arist. ibid. 11. Studebit Hæreticū reducere ad cōtradictiones; Vbi enim est falsitas; ibi tenebræ sunt; adueniente autem luce, statim tenebræ euanescunt; & hæreticus aliquas veritates cogetur fateri, quę suæ falsitati

ti contrariæ erunt: & sic error suus detectus erit.

In dictis Praxis, & recta ratio Catholicæ disputationis posita esse videtur. Nunc, quomodo possit recte obseruari, summatim dicendum erit.

Hinc potest colligi talis deffinitio Catholicæ disputationis: Est recta ratio ad probandum, & defendendum cum certitudine, quod doctrina, quæ ab Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, de Regno Christi, & de S. Euangelio; traditur; sola vera, certa, atque completa est; & hoc ita esse, vndequaque cum certitudine probari.

CAP. V.

Praxis ad examinandum, si expediat disputare.

CVm finis disputationis Catholicæ sit gloria Dei, & vtilitas proximi; *Sit et* dilucidatio, seu probatio, & defensio Catholicæ veritatis; Hic autem finis sit certa regula, à qua bonus vsus disputationis sit accipiendus; iuxta hunc finem poterit examinari; an in tali loco, & tempore; & cum tali modo, veluti publice priuatim, Voce, aut Scriptura, & similibus, disputatio habenda sit: Sæpe enim docere, aut probare, aut confutare sufficiet: Non omnes enim apti sunt ad disputandum.

Bonus vsus semper à vero fine desumitur.

A fine consultatio.

Hæc determinatio de habenda, vel non habenda disputatione, & de modo illam habendi; omnibus circunstantijs consideratis, à prudentibus viris accipienda est: Ad deliberandum autem possunt, quæ sequuntur, considerari.

Prudentia.

Primo, quis promoueat disputationem, an Catholicus, vel hæreticus, qui debent disputare; an princeps secularis; an populus; an Prælatus Eccle-

Ex hoc colligitur finis, & necessitas.

siasticus; veluti Episcopus, vel alius; & quo fine id faciat.

Cōsultatio

Catholicus cum viris prudentibus consultationem habebit.

Cōsultatio à fine non bono.

Si hæreticus disputaturus proponit, interrogandus est, quo fine id faciat; & an habeat artē disputandi: Si dicit non habere artem; & habere animum calumniandi Catholicam Doctrinam: Dicendum est, Sine arte non esse disputandum, & Catholicos non disputare, cum illo, qui non diligit, sed odit Catholicā veritatem, quia nō ex capax illius: Cōfutabit tamē illū.

Cōsultatio à fine bono Duplex medium pro bono fine proponitur.

Si hæreticus dicat, se non habere artē, sed esse bene affectum ergo Catholicā doctrinā, & desiderare cognitionē de veritate, & certitudine illius: Catholicus offeret se ad docendū illum de veritate, & certitudine Catholicæ doctrinæ; & de falsitate hæreticalis; & hoc admodum certis probationibus pro Catolicorū veritate, & hæreticorum falsitate: Sed ipso artem non habente disputationem esse dimittendam: Quod si capax sit; Hic liber ad legendum, & considerandum tradi potest; vt iudicet, quæ in illo dicuntur; & si quæ circa dicta in illo oriantur dubitationes, vel difficultates soluantur.

Cōsultatio à necessitate.

Si Princeps, Prælatus promoueat disputationē; proponenda est difficultas de arte non habita; & de mala intentione, vbi adsint; & quod melius iudicatū fuerit, est discernendum.

Cōsultatio de modo. Prim⁹ mod⁹ hic liber

Si, omnibus consideratis, fiat determinatio de habenda disputatione; existimarem, maxime expedire. si hæreticus de recta ratione disputandi edoctus sit Tradendo illi hunc librum ad legendum; vt fiat iudicium, an velit in aliquibus principijs cum Catholicis conuenire: Si enim obstinate velit omnia principia, & naturalia, & supernaturalia negare; obseruanda est regula Aristotelis dicentis; Contra negātes principia ab omnibus concessa non est dispu-

Alius modus non disputatio, sed confutatio.

tan-

tandum: Si enim hæreticus neget lumen naturale; Logicam; Philosophiam; Metaphisicã; Theologiã; Verbum Dei non Scriptum; Certas probationes; Cõsequentias, & alia; dicatque, plene ore, se velle solam Scripturam absque consequentijs, & sine illius ad particularia applicatione; quis non videt; totam disputationem ad contentionem, & confusionem esse terminandam? Ideo regulam Aristotelis esse obseruandam? Et tunc non disputatio, sed confutatio adhibenda est.

CAP. VI.

De preparatione ad disputandum.

DIsputare de Verbo Dei, & de vera illius significatione. Itẽ de diuina reuelatione, & de veritatibus à Deo reuelatis; quæ sũt veluti pretiosissimæ margaritæ digne tractandæ, & canibus non objiciendæ; est talis, & tanta actio, vt omnino aliquam requirat præparationem tum in sensu, tum in voluntate, tũ in intellecta: In sẽsu requiritur moderatio vocis, & externa totius corporis compositio: In voluntate debet esse recta intentio, & affectus bene regulatus: Pro intellectu requiritur studium ad illa cognoscenda, quæ disputationi opportuna, & accommodata sunt. Opportuna procurãda impedimenta remouenda.

Catholicus debet humiliter sentire de seipso; cõsiderando, quod solus Deus potest tangere, & illuminare corda hominum; ideo tum oratione, tũ studio debet se ad tantam actionem præparare. Oratio. Studium. Humilitas.

Hunc librum, non superficaliter, sed profunde cõsiderabit.

Si illum hæretico bene, vel non male, imo etiam male disposito, tradet ad legendum, antequam fiat disputatio; existimo

nihil posse nocere, & multum prodesse: Si enim hunc librum & contenta in illo despiciat, omnino à disputatione, quoad ipsum, est abstinendum: Quod si ad aliorum vtilitatem, & ad redarguendam hæretici temeritatem opus sit disputare; Catholicus se præparabit ad falsa hæreticorum principia confutanda; & ad certas probationes de Catholica Doctrina efficiendas, & explicandas; vt sic circunstantes de veritate edocti sint; & ad hoc præstandum, hic liber, & Catholica doctrina à me edita deseruiet.

CAP. VII.

De Praxi ad determinandam materiam Catholicæ disputationis.

MAteria est illud, de quo habenda est disputatio: Hæc aũt materia alia est remota, alia minus remota, alia proxima: Remota sunt Regnum Dei, & Sanctum Euangelium à parte rei consideratum: Minus remota sunt doctrina Catholica, & doctrina reuelata de illis: De hoc enim est disputatio; quia Catholicus probat, & defendit, quod Doctrina Catholica de dictis vera, & certa est: Hæretici hoc negant; affirmantes, doctrinam Lutheri, vel Caluini, vel alterius veram esse: Proxima materia sunt conclusiones de dicta doctrina, quæ à Catholico, & hæretico propositę sũt: Maxime autem expedit, vt tales conclusiones rectè propositę sint.

Catholicus tales potest proponere conclusiones.

Prima erit. Doctriaa de Regno Christi, & de Sancto Euangelio; quæ ab Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana, quę sola vera est, traditur; Omnino vera, & certa, atque completa est; & hoc ita esse, cum

cer-

certitudine fidei, & per euidentiā sensus, & intellectus omnibus modis, potest probari, atque defendi: Et est impossibile, quod hæretici, cum certitudine, aut probabilitate, contrarium probare possint.

Secunda Conclusio erit; Doctrina de Regno Christi, & de Sancto Euangelio, quæ à quacunque Secta hæreticorum tradita est; quatenus contrariatur Catholicæ doctrinæ, omnino falsa, incerta, & absurda est: Et est impossibile, quod hæretici illam possint cum certitudine, aut probabilitate probare; Catholici vero falsitatem illius omnibus modis cum certitudine probabunt.

Conclusiones positę, sunt de doctrina Catholica in genere considerata; quod si disputatio de materia particulari, veluti de Primatu Summi Pontificis, habenda sit, dictæ conclusiones tali materiæ sunt applicandę; quod ita fit.

Prima conclusio; Doctrina de Primatu Summi Pontificis, quæ ab Ecclesia: & cætera omnia, quæ in prima conclusione posita sunt.

Secunda Conclusio: Doctrina de Primatu Summi Pontificis; quæ à quacunque Secta; & reliqua, quæ in secunda conclusione proponuntur.

Catholicus faciet, quod Hæreticus easdem omnino de sua doctrina conclusiones, & cum eisdem verbis proponat tali ratione.

Prima Conclusio: Doctrina de regno Christi, de S. Euangelio, vel de Primatu Summi Pontificis, quæ à Luthero, vel Caluino, vel alio traditur; vera, & certa, atque completa omnino est: Et hoc ita esse cum certitudine fidei, & per euidentiam sensus, & intellectus omnibus modis probari potest, atque defendi: Et est impossibile, quod Catholici cum certitudine, aut probabilitate, contrarium probare possint.

Secunda, Doctrina de dictis, quæ à Catholicis tradita est; quatenus contrariatur, doctrinæ Lutheri,

vel alterius hæretici, omnino falsa, incerta, & absurda est: Et est impossibile, quod Catholici illã possint cum certitudine, aut probabilitate probare. Hæretici vero falsitatem illius omnibus modis cũ certitudine probabunt.

Si hæreticus nolit ponere dictas conclusiones; disputatio videretur omittenda; vel saltem Catholic⁹ ostendet: Probationes suas esse completas, & perfectas; Hæreticos vero diminutas habere probationes, & male positas conclusiones.

Conclusionem exempli gratia proponam de Primatu Summi Pontificis, sic.

Hęc propositio, In regno Christi datur Primatus Summi Pont., est vera, certa, omnibus modis probata; & non potest fieri certa probatio, quæ illi contraria sit.

Conclusiones, & probationes in tertia, & quarta distinctione positæ Doctrinã Catholicã distincte explicant, & probant: In quinta vero dist. falsa hæreticorum fundamenta, & conclusiones sunt confutata; & in illis materia disputationis determinata.

CAP. VIII.

De Praxi ad examinãdas dictas cõclusiones

Ar. l. i. & 2. poster.

PRaxis est examinare subiectũ, & prædicatũ dictarum cõclusionũ; & hoc in ratione præcisa; quia sic teminorum tollentur confusiones, & æquiuocationes; quæ duo in disputãdo maximam efficiunt confusionem.

Subiectũ est duplex, sicut duplex est cõclusio: Vnũ est Doctrina Catholica de Regno Christi, vel de alia re particulari ad illud pertinēte: Aliud est doctrina Lutheri, seu alterius hæretici de eisdem.

Præ-

Prędicata, quæ de hoc subiecto dicũtur multa sũt: Primũ est, quod sit vera: Secũdum quod sit certa; Tertiũ quod sit cõpleta: Quartũ quod sit omnib⁹ modis cum certitudine probata; Quintũ quod non possit fieri certa, sed neq; probabilis, seu Topica probatio, q̃ illi cõtraria sit: Hæc prædicata de illo subiecto probãda. Idem est de prædicatis secundæ conclusionis.

De hac ergo Conclusione; In Regno Christi dari Primatũ Sũmi Põt. eo modo, quo Ecclesia Catholica docet, est verũ, certũ, plene probatũ; vel sic, Doctrina Ecclesię Catholicę de Primatu dicto est vera, certa, cõpleta, & plene probata; prędicatũ, & subiectum examinandum est. Et hoc modo omnes Conclusiones sunt proponendæ, atque examinandæ.

Ratio, cur ita proponi debẽt, & examinari, est qa regula est Arist., quod p diffinitionẽ subiecti, & prædicati cõclusionis, quæ sit demõstrabilis, põt fieri certa probatio de illa. Veluti si diffiniatur, Quid sit regnum in genere consideratũ, & quid sit regnũ Christi, & quid sit Primatus Summi Pontificis fiet certa probatio propositę cõclusionis sic. In omni regno bene ordinato necessario summa potestas gubernatiua, qualis est Primatus Summi Põt. in singulari persona est constituta; & hoc ita esse omnibus modis cũ certitudine ꝓbari potest; Minor sed regnũ Christi, p Scripturã certissime ꝓbatur, qđ sit verũ regnũ; & Primat⁹ Sũmi Põt. nihil est aliud, quã Sũma potestas gubernatiua in regno Christi ĩ singulari persona cõstituta; ergo: & idẽ est de alijs: Aliud exemplum sit. 1. Poster.

Maior. Quod docet vera Ecclesia, vt certũ de fide, omnino verũ, & certũ est; Probatur per diffinitionẽ Ecclesiæ veræ: Est.n. illa, quæ habet veram fidem.

Minor. Sed sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana est vera Ecclesia, quia illa sola fundata est in Primatu Summi Pontificis, & ipsa affirmat, & docet dari Primatum Summi Pontificis: ergo, &c.

Idem

Idem fiet in omnibus alijs.

Quid autem sit regnum Christi, quid Primat' Sũmi Pontificis, quid veritas, certitudo, certa probatio, quæ doctrina Catholica, quę vera Ecclesia, & alia supra explicata, & diffinita sunt.

CAP. IX.

Praxis ad inueniendum, & examinandum medium certæ probationis.

Sup. dist. 1. MEdium dicitur illud, quod mediat inter extrema, & in affirmatiua potest illa vnire in negatiua separare; & vnio potest esse certa, & non certa.

Lib. post. 2 Aristoteles ait, Diffinitio subiecti; Item prædicati, possunt esse certa media ad probandum, quod prędicatum sit, vel non sit in subiecto: Si enim in diffinitione subiecti ponatur prædicatum, vel è contra, illa diffinitio certum medium erit ad probandum, quod prędicatum sit in subiecto; E contra si in diffinitione subiecti ponatur aliquid, quod repugnet prædicato, illud repugnans erit certum medium ad negandum prædicatum de subiecto. Sit exemplũ: Diffinitio Ecclesiæ est hęc; Est populus fidelis: Sic poterit fieri certa probatio: Populus fidelis est ille, qui habet veram fidem; Vera Ecclesia est populus fidelis; ergo Vera Ecclesia est illa, quæ habet veram fidem.

Sup dist. 1. & in Doc. Ca. l. 1. dist. 2. & seq. Theologi dicunt; Media certæ probationis ad quatuor capita possunt reduci, quæ sunt; Primo dictum Dei; Secundo dictum Ecclesiæ aliquid de fide determinantis; Tertio euidentia intellectus: Quarto euidentia sensus: Ratio est, quia in his quatuor omne fundamentum certitudinis positum est: Quamuis enim

enim dicta quatuor non semper sint causa certitudinis; quia per rectam illorum applicationem fit certitudo; recta autem illorum applicatio non ab omnibus recte facta est; nihilominus verum est, quod in illis tantum fundatur vera certitudo.

Philosophi concordant cum Theologis dicentes; medium ad probandum triplex est: Authoritas; Ratio; Sensus, seu experientia: Authoritas fundatur in dicto alicuius sapientis; qui, si potest errare, facit probabilitatem; si non potest in suo dicto errare, vt Deus, & Ecclesia, facit fidei certitudinem: Per ratioñe significatur ĩtellect⁹; Per experiẽtiã sẽs⁹. Experiẽtiã

Regula ad examinandam certitudinem medij talis videtur posse proponi.

1. Dictum eius, qui in dicendo potest errare, etiã plene cognitum cum sua vera significatione, & legitime applicatum potest esse medium aptum ad, non dico certam, sed probabilem probationem efficiendam: Ideo authoritas Aristotelis in philosophia; Item alicuius Patris in Theologia; non erit medium ad certam probationem efficiendam, faciet tamen probabilem. Ibidem. Doctr. Ca.

Secundo dictum eius, qui in dicendo non potest errare, plene cognitum cum sua vera significatione, & legitime applicatum, est aptum medium ad certam probationem efficiendam; & de hoc dictum est supra. Ibidem. Dist. 1.

Tertio Principium per se notum, & tale communiter à sapientibus habitum; siue sit in logica, aut in Philosophia naturali, & morali, aut in Metaphysica contentum; si plene, & claro lumine naturali cognitum, & legitime applicatum sit, poterit esse medium ad certam probationem lumine naturali efficiendam. Deseruiet etiam, vt per illud mixta probatio facta sit. Ex philosophia.

Quarto euidentia sensus claro lumine, & plene Experiẽtia

aliquid cognoscentis, si fiat illius legitima applicatio poterit esse medium ad certam probationẽ efficiẽdã.

Hæc deseruient ad mediũ certæ probationis inueniendum, & examinandum.

Dictis autem possunt addi quinque modi, quibus ab aliqua veritate, & principio certo cognito, per certam consequentiam, aliquæ conclusiones deduci possunt, vt in fine primæ Distinctionis dictum est.

Per diffinitionem ergo subiecti, & prædicati, & alijs dictis modis; Hæc conclusio; In regno Christi datur Primatus Summi Pontificis, habebit media ad certas probationes de illa efficiendas: Si enim deffiniatur. Quid sit Regnum; Quid dictus Primatus; Quid veritas; Quid certitudo; Quid certa probatio; Ista erunt media ad certam illius probationẽ efficiendam; Idem in alijs erit.

CAP. X.

Praxis ad certum medium in forma syllogistica collocandum.

Ex l. prior. & poster.

HÆc reductio medij certi iam inuenti, & examinati ad formam Syllogisticam, si recte inter disputantes fiat, maximas tollit confusiones, & valde deseruit, ad ostendendum, ex qua parte veritas sit: Potissimum autem in disputando cum hæreticis, qui ordinarie logicam non habent, & ideo nesciunt disputare, vtilissima, & pene necessaria erit: Modus enim disputãdi duplex est: Vnus apud Rhetores; qui Topicus est; & probabilitati deseruit; & non vtitur figura Syllogistica; Alius Logicus, & scientificus, & certitudini maxime accommodatus est, quia cum certitudine declarat, an consequẽtia legitima, vel non legitima sit:

Li. Topic. & Poster.

ſit: Ideo hoc modo vtendum eſt. Quod ſi hæreticus dicat, ego neſcio vti hoc modo: Dicendum, illum nō debere diſputare, qui neſcit artem diſputandi: Quod ſi diſputatio cum tali habenda ſit; qui eſt peritus in arte Catholicus, debet ſparſa, & confuſa hæretici dicta in vnum colligere, & reducere, ſi fieri poteſt, ad formam Syllogiſticam; & reſpondere illi, oſtendendo defectum probationis: Et ego experientia didici hoc plurimum ad veritatem cito comprobandam deſeruire: Nunc practice ad hoc præſtandum aliquid dicam.

Si medium ſit verbum Dei; talis Syllogiſmus fieri poteſt.

Maior. Omnis propoſitio ſiue affirmatiua, ſiue negatiua, probata per verum verbum Dei, plene cognitum cum ſua vera interpretatione, & legitime, ac euidenter applicatum, vera omnino, & certa de fide eſt: Patet ex terminis, quia Veritas, & Certitudo habēt neceſſariam cōnexionem cū Verbo Dei; Et dicta propoſitio cum illo. Sup. diſt. 1.

Minor. Sed hæc propoſitio; Septem ſunt Sacramēta: Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem; & alię plurimæ ſunt probatæ modo ſuperius dicto; ergo &c.

Probatio minoris fiet, afferendo loca Scripturæ, ex quibus Eccleſia dictas propoſitiones cū certitudine deduxit, & deriuauit: Et de hoc dictum eſt ſupra. Diſt. 1.

Si medium ſit dictum Eccleſiæ; talis Syllogiſmus fieri poteſt.

Maior. Omnis propoſitio, probata per dictum Eccleſiæ aliquid de fide determinantis, vera, & certa eſt; quia dictum Eccleſiæ neceſſariam habet connexionem cum certitudine, & veritate.

Minor. Sed hęc propoſitio ſeptem ſunt Sacramēta talis eſt: ergo Minor eſt probanda, afferendo locum, in quo Eccleſia illam determinat de fide.

Si medium ſit Euidentia intellectus, & principiū

per

per se notum, sic fiet sillogismus.

Maior. Omnis propositio probata, & deriuata cum euidentia à principio per se, & claro lumine naturali noto, Omnino vera, & certa est: Patet ex terminis, quia talia principia habent necessariam connexionem cum certitudine, & veritate; dicta autem propositio ab illis necessario, & euidenter est deriuata.

Minor. Sed hæc propositio, omne regnum habet leges, & magistratus, & primus magistratus in singulari persona est constitutus; est probata modo dicto: ergo &c. Et hæc minor ex diffinitione regni apertissime probata erit.

Si medium fuerit euidentia sensus, Syllogismus sic fieri posse videtur.

Maior. Illa propositio, quæ per euidentiam sensus clare probata est, omnino vera, & certa erit: Patet ex terminis; quia sensus probat ita esse in re, sicut ab illa propositione significatum est: ergo vera est, quia significat esse, quod est.

Minor: Sed istæ propositiones, In Ecclesia Romana est Summus Pontifex, sunt Episcopi, Sacerdotes, Sacrificium Missæ, Septem Sacramenta, & alia, sunt per sensum euidenter probatæ: ergo Res patet sensu.

Hæc praxis deseruiet ad probationem in forma syllogistica efficiendam.

CAP. XI.

Praxis ad ostendendum, quod probatio facta vera, & certa sit.

MEdiũ, ad hãc probatione faciẽdã, est diffinitio certæ probationis: Et syllogismus ita fit.

Ma-

Maior. Illa probatio, quæ habet vtrãq; præmissã certã, & legitimã consequentiam vera,& certa probatio est: Est per se nota ex terminis. Sup.dist.1.

Minor. Sed probatio facta est talis: ergo:Hæc minor debet probari ostendendo, quod maior, & minor sunt certæ,& quod legitimã sit consequentia: Quando autem ita sit dictum est supra: Omnis enim propositio, quæ in vero fundamento certitudinis bene fundata est; omnino vera,& certa erit: Ideo omnis propositio bene fundata in dicto Dei,& Ecclesię, & in euidentia sensus, & intellectus; vera, & certa erit: Siue sit affirmatiua, siue negatiua. Dist.1.& 2

Potest etiam sic probari.

Maior. Illa probatio, de qua diffinitio certæ probationis verificatur, omnino certa est: Ita illud est albũ, de quo diffinitio albedinis potest verificari. Dist. 1.

Minor. Sed de probatione pro Catholicis facta verificatur diffinitio certæ probationis:ergo: Hæc minor probatur,ostendendo,quod in illa vtraque præmissa est certa,& legitima consequentia. Dist.3.& 4

Aliter etiam hæc probatio ita fieri potest.

Maior. Illa probatio, quæ habet vtranque præmissam,& illarum consequentiam bene,& cum certitudine fundatas vel in dicto Dei,& Ecclesię, vel in euidentia sensus, & intellectus, omnino vera, & certa est. Dist.1.

Minor. Sed probatio à me facta talis est; ergo:hæc minor probabitur per ea,quæ supra de veritate, & certitudine, & certa probatione dicta sunt. Dist.I. 2.3. 4.

Hæc praxis deseruiet ad probandum, quod aliqua probatio facta certa sit. Est etiam accommodata ad declarandum, quod aliqua probatio certa non sit.

CAP.

CAP. XII.

De Praxi ad soluenda omnia argumenta in contrarium facta.

QVi defendit aliquam conclusionem à se probatam, debet soluere omnia argumẽta, quæ contra illam, & illius probationem facta sint.

Praxis potest esse talis: Defendens, audito argumento, notabit, an arguens habeat veram cognitionem certæ probationis, & veri fundamenti certitudinis: Propositiones enim hoc indicabunt: Vt etiá clarius cognoscat, potest negare, quod illa argumentatio certa probatio sit; Probationem enim non admittet nisi certam. Ex instantia enim intelliget, an cognoscat, quod dictum est.

Si arguens vtatur diffinitione certæ probationis ad probandum, quod negatum est; Defendens intelliget habere dictam cognitionem, Et negabit, quod facta argumentatio habeat omnes conditiones certę probationis; & si vult, potest dicere, in quo deficiat, seu negare, quod maior, vel minor certa sit; & expectabit an recte probet, & iuxta superius dicta, omnes conditiones, vel negatas certæ probationis. Et necesse est, quod defendens ostendat, non esse factam probationem cũ omnibus conditionibus certæ probationis: Tota enim ratio soluendi argumenta circa materiam fidei, quæ maximam habet certitudinẽ est ostendere, quod certa probatio facta non sit: Et defendens nunquam patietur se ab hoc puncto certitudinis dimoueri.

Si defendens cognoscit, Arguentem non habere cognitionẽ de vera certitudine certæ probationis, &

pro-

propositionis, & de vero fundamento certitudinis poterit cum modestia explicare, quæ dicta sunt; declarando etiam, quod disputatio non potest recte procedere sine dictorum cognitione, & obseruantia; quia hæc est recta ratio ad certitudinem veritatis inueniendam.

Si arguēs clamitet, & obstrepet, istas esse Sophisticationes, & se velle solā Scripturā, & negare logicā, & philosophiam, & doctrinas hominum: Poterit respondere, quod omnes sapientes etiam gentiles, & antiqui pleno ore de Logica dicunt, quod rectam disputandi rationem docet; & quod est facultas, per quam verum à falso, & certum ab incerto discerni potest; & quod detegit sophisticationes, & falsas probationes; & quod omnes sapientes philosophi tam gentiles, quam sacri, & ipsamet scriptura illa vsi sūt, & illius vsus, si recte adhibitus sit, bonus est; quod si quis illa male vtatur, talis vsus est reprehendendus: Ideo, qui nescit Logicam, deberet se abstinere à disputando, quia non potest iudicare de certa, & non certa probatione.

Solutio ergo probationis ab hæretico factæ erit, dicendo, quod facta probatio non est certa; & Catholicus defendens poterit probare veritatem suæ negationis sic.

Certa probatio potest fundari tantum in dicto Dei, & Ecclesiæ: Item in euidentia sensus; & intellectus; & ostendetur, quod probatio facta in nullo dictorum bene fundata est: Sit exemplum, de Primatu Summi Pontificis: Ostendendo, quod hæretici non possunt probare suam negatiuam: Non per sensum; quia docet contrariū in Ecclesia Romana: Non per intellectū, qui euidenter cognoscit, quod in omni regno datur primus magistratus in singulari persona constitutus. Non per dictum Ecclesiæ, quæ docet contrarium: Non per scripturam, quia in illa

O mul-

multis in locis affirmatiua aperte proposita est: Negatiua autem de hoc Primatu expressa nullibi reperitur: Nunquam enim Scriptura explicite dicit. In regno Christi non datur Primatus Summi Pontificis; imo aperte dicit; ante legem Scriptam, In lege Scripta, & in nouo testamento dari: Veluti in Melchisedech, in Caifa, in Christo, in S. Petro, & in successoribus. Ille autem locus, vnus est mediator, vnus magister Christus, affirmat Christum esse per se, & primo, & per essentiam Summum Pontificem inuisibilem, sed non negat, quod alij Pontifices a Christo sint substituti; Ideo sic ostensum erit, quod probatio hæretici certa non sit. Idem fiet in alijs.

CAP. XIII.

De praxi ad probandam cum certitudine falsitatem hæreticæ propositionis.

HÆc praxis maxime deseruit ad hæreses confutandas, & omnes falsas conclusiones. Falsa autem conclusio, vel propositio potest esse affirmatiua, & negatiua: Falsa affirmatiua sic potest diffiniri; Est illa, quæ affirmat esse, quod non est; veluti, Deus mentitur; Falsa negatiua est illa, quæ negat esse, quod est, veluti Deus non est.

Falsa propositio alia est hæresis, alia non est hæresis: Hæresis est illa, quæ affirmat, vel negat contrarium eius, quod à Deo reuelatum, & ab Ecclesia de fide determinatum est: Veluti in Eucharistia non est corpus Christi, vel Baptismus non est necessarius ad salutem.

Medium ad probandam falsitatem alicuius proposi-

positionis est hæc: Dicere contrarium eius, quod est: Vel hoc; Affirmare esse, quod non est, vel negare non esse, quod est: Et sillogismus ita fieri potest.

Maior. Illa propositio; vel conclusio, quæ ait: Esse, quod non est, vel non esse, quod est; est omnino falsa: Patet ex diffinitione veritatis, & falsitatis.

Minor. Sed hæc propositio. Deus peccat, & mentitur, dicit esse, quod non est; Et hæc, Deus non est, dicit non esse, quod est: ergo Vtraque falsa est.

Probatio minoris potest fieri authoritate, ratione & sensu, seu experientia.

Hic est modus ad probandam falsitatem cuiuscunque propositionis.

Ad probandum vero, quod aliqua propositio sit falsa, & etiam hæretica sic fiet.

Maior. Illa propositio, quæ dicit contrarium eius, quod à Deo dictum, & reuelatum est; vel ab Ecclesia de fide determinatum fuit: omnino falsa, & hæretica est: Patet ex diffinitione, quid hæresis sit.

Minor. Sed hæc propositio: Gratia non est necessaria ad salutem; & hæc, Homo per virtutem propriam, & naturalem potest saluari: Dicunt contrarium, &c. ergo falsæ.

Media ad probandam cum certitudine falsitatem alicuius propositionis, quatuor iam sæpius dicta sunt: Dictum Dei; Dictum Ecclesiæ; Euidentia sensus; & intellectus, & probatio syllogistica ita fit.

Maior. Illa propositio, quæ dicit contrarium ei⁹, quod Deus, vel Ecclesia dixit; vel eius, quod per euidentiam sensus, & intellectus manifeste apparet, omnino falsa est.

Minor sed hæc propositio est talis, ergo falsa.

Notandum, quod ad probandam falsitatem ali-

cuius propositionis, duæ possunt fieri probationes; & prima debet habere pro medio diffinitionem falsitatis, quatenus habet omnimodam repugnantiam cum dicto Dei, & Ecclesiæ, & cum euidentia, tum sensus, tum intellectus: Secunda autem probatio, probat Dictum Dei, & Ecclesiæ; Item euidentiam sensus, & intellectus dicere contrarium eius, quod in illa propositione contentum est, & hæc probatio fit modo superius dicto.

CAP. XIV.
De bono vsu traditæ Praxis.

IOannes. Ex dictis mihi videtur proposita Praxis ad Catholicam cum hæretico disputationem recte instituendam; Videte nunc, si quid aliud à me circa illam desideretis.

Lauretus. Desidero, vt practice nobis explices, quid tu faceres, si cum hæretico, vel publicam, vel priuatam disputationem exercere deberes.

Claudius. Lauretus optime dixit, & cupio, vt exemplum proponas, supponendo, quod de Primatu Summi Pontificis dispuattio habenda sit.

Ioannes vobis satisfaciam; Sed dictorum repetitio mihi neganda non est. Ego talem modum, & ordinem seruarem.

Primo eligerem, circa modum disputandi, quod disputatio prima quidem vice Scriptura, postea, si opus iudicetur, voce facienda sit.

Secundo proponerem meam Conclusionem Catholicam de dicto Primatu, & omnibus consideratis à me talis proposita esset.

Con-

Conclusio Catholica scripta.

IN regno Christi omnino verum est dari primatũ Summi Pontificis, Episcopos, Sacerdotes, & visibiles magistratus: Et hæc conclusio à Catholicis omnibus modis potest cum certitudine probari: Et est impossibile, quod hæretici possint facere certas, sed neque probabiles probationes, quod dicta conclusio non vera, sed falsa sit.

Proponitur Conclusio hæretici dictæ opposita.

INstarem, vt hæreticus suam oppositam proponat conclusionem; &, ad vitandam confusionẽ proponat eodem modo, quo ego meam posui sic.

In Regno Christi falsum est dari Primatum Summi Pontificis, Episcopos, Sacerdotes, & visibiles magistratus: Et hæc mea negatio omnibus modis cum certitudine à Lutheranis, & Caluinistis probari potest: Et est impossibile, quod Catholici possint facere certam probationẽ, quod hæc negatiua conclusio, non vera, sed falsa sit.

Proponitur lex, quæ in disputando seruanda sit.

INstarem, vt disputantibus talis lex data, atque obseruata sit.

Finis disputationis sit dilucidatio, & comprobatio veritatis.

Medium sit, non Topica, sed certa probatio.

Modus sit modesta, & moderata scriptio, & locutio.

Vterque disputans duo faciet; *Suam cõclusionem* probabit; Oppositam confutabit.

In probanda sua quatuor faciet: Primo probabit;

Secundo ostendet, probationes à se factas esse certas: Tertio soluet argumēta in contrarium allata: Quarto ostendet esse impossibile, cum certitudine probare, quod sua conclusio non vera, sed falsa sit.

In confutanda opposita quatuor fient: Primo impugnabitur argumentis: Secundo ostendetur, quod argumenta certam efficiunt probationem: Tertio impugnabuntur responsiones, & solutiones allatæ; Quarto ostēdetur, quod impossibile sit, certas de illa facere probationes.

Qui fecerit certas probationes victor erit, & illius conclusio vera, & certa habita sit.

Determinatio temporis ad scribendum.

INstarem, determinari aliquod tempus, vt duorū, vel trium dierum, in quo vtraque pars suā scriberet probationem, & confutationem; Et illo transacto, vtraque suam afferret scripturam, vt alteri parti tradat illam examinandam; vt possit notare, & scribere, si quid videat esse opponendum.

Catholicus probat suam conclusionem.

PRimo ex Scriptura afferendo loca propria, vbi loquitur de hoc primatu. Veluti Math. 16. & Ioan. 21. cum interpretatione, quæ ab Ecclesia data est.

Secunda probatio erit per Traditionem: Tertia per Concilia generalia: Quarta per vnanimem consensum Sanctorum Patrum: Quinta per euidentiam intellectus: Sexta per euidentiam sensus; Istę autem probationes hic, & in Doctrina Catholica satis distincte sunt propositæ, explicatæ, probatæ.

Ca-

Catholicus ostendit suas probationes esse certas.

PEr diffinitionem certæ probationis, quæ data est Dist. 1. ex Scriptura, ex Traditione, ab authoritate Ecclesiæ, per euidentiam intellectus, & sensus probabo, à me factas probationes esse certas; quia habent omnes conditiones, quæ ad certam probationem faciendam sunt requisitæ; Omnes enim iuxta sensum expressum veræ Catholicæ Ecclesiæ propositæ sunt: De hac autem probatione certa, multa hic, & in Doctrina Catholica dicta sunt.

Soluuntur omnia hæretici contraria argumenta.

SOluam omnia hæreticorum argumenta, quæ contra Catholicam Conclusionem facere solent, hoc vnico verbo: Nullum argumentum habet conditiones certæ probationis: Hic autem sola certa probatio est admittenda; quia de certitudine fidei sermo est: Et declarabo, in quo deficiant: Veluti, Ostendam, quod loca Scripturæ ab hæreticis allata, non propria, sed communia sunt; Et non dant illis interpretationem iuxta verum sensum Catholicæ Ecclesiæ; ideo dicta intelligentia, in priuato hominis iudicio, quod fallax est; fundamentum habet. Et de hoc in doctr. Cath. & hic multa dicta sunt.

Ostenditur, hæreticos non fecisse, nec posse facere certas probationes.

DEclarabo hoc de proposita conclusione.

Non possunt probare per Traditionem, quia illam negant, & illis contraria est.

Non probant per Cōcilia, & Sanctos Patres, quia illa negant, & illis contraria sunt.

Non possunt probare per Catholicam Ecclesiam Romanam, quia illam negant, & apertissime dictis, & factis contrarium docet.

Probatio per Caluinum, & Ecclesiam Caluinianã quia non est certum, quod dicta Ecclesia, & doctrina Caluini sit vera, vt vana reiecta erit.

Non possunt probare per euidentiam intellectus, & sensus; quia apertissime docent contrarium, inspicientes, quod de essentia cuiuscunque regni est, quod summa potestas gubernatiua sit in singulari persona constituta.

Tota ratio probandi apud hæreticos contra hanc conclusionem est Scriptura; Et præcipue ille locus: *Vnus est mediator*, & similia: Sed hæc probatio nullo modo est certa; vt alibi probatum est: Et intelligẽtia, quam illi dant, est contraria Scripturæ; Sensui Ecclesiæ; & lumini naturali: Nihil enim dicit in particulari de Primatu Sancti Petri; Loquitur de Primatu Christi, qui est absolute primus; & nulli alio conuenit; & alia multa de hoc vide in Doctrina Catholica: Hic sufficiat aliquas annuere solutiones.

Primo, Impossibile est, quod Primatus Christi eo modo, quo conuenit illi, possit alijs ab ipso cõuenire, & vt sic de solo Christo affirmandus, de alijs negãd⁹.

Secundo, S. Petrus Christo fuit subditus, discipul⁹ ouis; sed alijs prælatus, magister, pastor.

Tertio, Sola albedo per essentiam disgregat visũ. Alba per albedinem idem faciunt.

Quarto, Christus fuit pastor, & dominus ouium à seipso. Petrus à Christo pastor, non dominus.

Quinto, Christus propriam doctrinam tradebat; S. Petrus, non suam, sed Christi, ita potestas.

Sexto, Quod Christus per alium facit, per se facere videtur, & vere ita est.

Septimo, Nullibi Scriptura profert explicitam nega-

negatiuam de Primatu S. Petri.

Octauo, Multis in locis affert explicitam affirmatiuam de illo, & Ecclesia ita intelligit.

Nono, Locus generalis Scripturæ per loca particularia, & propria est interpretandus.

Decimo, Si Scriptura profert explicitam affirmatiuam propriam, per quam Conclusio Catholica directe probata est, quomodo illius probationi, antepo nenda est alia probatio, quæ per locum communem, non bene interpretatum, facta est?

Soluitur aliud argumentum.

HÆretici ita arguunt. Omnis probatio fundata in loco Scripturæ, vera, & certa est. Nostra talis: solutio. Etiã Arrius fecit hanc probationẽ. Potest esse falsa. Si non habetur de tali loco certa cognitio, quod sit verus; & illius significatio & res significata sit vera; & quod Ecclesia de hoc fidẽ facit, & illũ ita interpretatur, nõ fit certa probatio. Arrius suas probationes fũdabat in Scriptura, & tamẽ veræ nõ erãt, q̃a nõ iuxta sẽsũ, & iudiciũ Catholicę Ecclesię factę erãt

Impugnatur negatiua hæreticorum.

OMnia argumenta facta ad probandam Catholicam conclusionẽ, totaliter, & omnino probãt falsitatem oppositæ negatiuæ: Semper enim probatio negatiua in affirmatiua fundata est. Veluti, quia habere pulmonem est causa propria respirandi; per hoc probatur, quod paries nõ respirat, quia nõ habet pulmonem; equus sic, quia habet.

Quod argumenta Catholica faciant certam probationem iam declaratum est.

Probationes ab Hæreticis factæ de sua negatiua, soluũtur modo iã dicto, hoc verbo; Non faciũt certã

pro-

probationem, & potest declarari, quod ita sit.

Quod hæreticus non possit facere certam probationem de sua negatiua, ostendetur modo iam supra dicto.

Tempore statuto afferentur Scripturæ, & datur tempus ad scripta conferenda, & concludenda.

ADueniente tempore statuto afferrem meam Scripturam, & traderem illam alteri parti, si illa mihi traderet suam.

Instarem, vt daretur tempus ad vtramque Scripturam examinandam.

Examinarem in vtrisque certitudinem probationis.

Notarem, quid Hæreticus dicat contra certitudinem Catholicæ probationis, & pro certitudine suarum probationum.

Item, quid opponat Conclusioni Catholicæ, & probationibus illius, & per diffinitionem certę probationis ostenderem, quod certa probatio à solo Catholico facta est: Et ad hoc recte præstandum. Hæc Praxis, & Doctrina Catholica amplam materiam, & magnum lumen afferent.

Conclusio disputationis.

HIs ita dispositis poterit dies determinari, in quo, vel priuatim, vel publice vtraque Scriptura sit lecta, & à disputantibus confirmata.

Ego in hac concludenda disputatione vel voce, vel Scriptura talem discursum de vera, & falsa certitudine afferrem.

DI-

DISCVRSVS CATHOLICVS.
De vero, & falso fundamento certitudinis.

OBsecro auditores breuissimum discursum de vero, & falso fundamento certitudinis, pro fine huius disputationis, libenti animo audite.

Regnum Christi est verum regnum, & habet omnia, quæ de essentia veri regni sunt: Est quid mixtum ex ente naturali, & supernaturali; Est sensibile: Habet veram, & completam existentiam à parte rei: Sicut aliud est aurum, aliud cognitio auri; Ita aliud est regnum Christi, aliud cognitio dicti regni: Solus Deus potest habere veram, certam, & completam cognitionem de illo: Potest etiam illam hominibus communicare, & voluit illam communicare: Finis huius communicationis est tradere hominibus totius mundi veram, certam, & completam cognitionem de regno Christi: Dicta communicatio habet plures gradus, & primus est à Christo, qui per Verbum Dei omnes veritates ad dictum regnum pertinentes reuelauit: Secundus est à Spiritu sancto, qui non reuelat, sed docet Ecclesiam omnes veritates à Christo reuelatas: Aliud est enim veritas reuelata, aliud cognitio, & doctrina veritatis reuelatę: Tertius gradus est communicatio cognitionis, quatenus in hominibus est recepta: Est enim hominibus necessaria, qui debēt cognoscere omnes veritates de regno Christi reuelatas, & hoc cum fidei certitudine, & est de necessitate salutis: Deus enim sub pœna æternæ damnationis obligauit omnes homines totius mundi ad credendum Deo reuelanti, & Spiritui sancto docenti omnes euangelicas veritates; modo homines fiant certi de dicta reuelatione & doctrina: Ideo Christus determinauit medium per quod homines fierēt certi de veritatibus ab ipso

reuelatis; & est medium ordinarium, & sensibile, & certum ad dictam certam cognitionem obtinendã, quam obtinent, qui illo bene vtũtur, secus, si quis illo vel non vtatur, vel non bene. Hoc certum mediũ est fundatum in promissione Christi, quę falli nõ potest: & est duplex; vnũ est Summus Pont. Christi Vicari⁹ pro quo rogauit, ne deficiat fides sua, ad hunc finẽ, vt in fide confirmaret fratres suos; Alterum est vera Ecclesia Catholica, quæ est columna, & firmamentũ veritatis. Primatus autẽ Summi Pont. supra quẽ fũdata est Ecclesia Christi, est verum, & certũ, & sensibile signum, & medium, per quod homines fiunt certissimi, quod sola Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana vera Christi Ecclesia est: Hanc veram Ecclesiã cũ certitudine fidei, & cũ priuilegio non errandi, Spiritus sanctus docet omnes veritates à Deo reuelatas de regno Christi; idest, quodnam sit verum verbũ Dei; Verus Textus Biblicus; vera illius significatio, & res significata, & intelligentia, & interpretatio, & alia omnia vera, Euangelium, Sacrificium, Sacerdotium, Sacramenta: Idem Spiritus sanctus per Ecclesiã homines particulares docet Euangelicas veritates, & p testimoniũ illius facit homines certos de eisdẽ: Catholici his duobus medijs à Christo ordinatis vtũtur ad cognoscendum, quænam in regno Christi vera sint; & per illa media fiunt certi de veritatibus reuelatis; & de sua fide per illa possunt certissimas facere probationes: Iudęi, Infideles, hæretici dictis medijs nolunt vti; alio autem pessimo medio, & falsissimo vtuntur; quod est proprium iudicium; per quod volũt quærere certitudinem de vero Textu Biblico, & aliis iam dictis; vnde à vera via declinantes in errores, & hæreses incidunt innumerabiles: Et quid mirum, si quilibet sequitur proprium iudicium, qui omnis erroris causa est? Cum ergo Christus iudicio Sũmi Põt. & Ecclesiæ promiserit certam assistentiam Spiritus

san-

sancti; Iudicio vero hominum particularium, infidelium, hæreticorum; Caluini, Lutheri, & similium, non promiserit; & isti, non Ecclesiæ, sed proprium iudicium sequuntur, quid mirum, si non possunt facere certas probationes de sua doctrina? Catholici vero, qui Ecclesiæ fidem profitentur, certissimas vndequaque probationes faciunt de sua? Quod si probationes Catholicorũ de sua doctrina certæ sunt, omnino etiam doctrina illorum certa, & vera; & aliorum omnium falsa, & absurda dicenda est; Hæc est causa, quod vere dicatur, Catholicos de sua doctrina certas facere probationes, Hæreticos non. Ideo doctrina Catholica, vt vera, & certa, acceptanda, hæretica, vt falsa reficienda.

Ioannes. Hic est modus, quo ego vterer, si à me disputatio habenda esset: vos meis dictis addite, vel detrahite, quod magis rectum visum sit. &c. Si placet vobis, finem operi imponamus.

Claudius. Iustum est, ut opere absoluto, labori tuo finis impositus sit. Spero, quod ex opere tuo maximi fructus sequuturi sint. Tu enim in illo doctrinam Catholicam veram, certam, & completam demonstrasti; hæreticam confutasti; Verum fundamentum certitudinis declarasti; certas probationes docuisti, & fecisti; praxim ad disputandum tradidisti; & omnia ad veram doctrinam Euangelicam pertinentia explicasti, probasti, & oppositam confutasti. Ego plene persuasus sum. Deus tibi pro labore tuo copiosam mercedem concedat.

Lauretus. Confirmo à Claudio dicta. Gratias tibi ago immortales: Vtar hoc labore tuo: & alios inducam ad illo vtendum. Deus per hoc medium, & per alia dignetur efficere, vt iam tandem veritas Euangelica de hæresibus triumphum ducat.

FINIS.

Errata corrigito ſic.

Pag. 2. principij. Mehſoncine. cor. Meſolcinæ. pag. 2. operis. ſuis. cor. ſiue. pag. 26. lin. 13. ab vnam. dele ab. pag. 70. l. 16. qua. cor. quæ. p. 71. l. 11. Eccleſia. cor. Eccleſiam. p. 72. l. 28. Eſt. cor. ideſt. pag. 74. l. 19. inter Chriſti fierit. cor. mater Chriſti fuerit. A pag. 81. vſque ad pag. 96. aliqui numeri paginarum ſunt tranſportati. pag. 82. notata 80. lin. 14. Euangelici. cor. Euangelicis. & lin. 17. cu. cor. Cum. & lin. 18. aſſentia. cor. eſſentia. p. 84. l. 13. ſpectans. cor. ſpectant. p. 90. ſignata 88. l. 26. enta. cor. ente. p. 97. l. 26. præmiſſione. cor. promiſſione. pag. 105. l. 10. vt ideo dele. vt. p. 121. l. 22. illam. cor. illum. p. 166. l. 16. certitude. cor. certitudo. p. 196. l. 11. ex. cor. eſt. p. 197. l. 4. plane. cor. plene.